

AD ILLUSTRISSIMUM HENRICUM OCTAVUM, REGEM ANGLIAE, FRANCIAE ET HIBERNIAE INCOM...

L_1 v.1 Regia cum laetis floreret Roma triumphis,
 2 esset et in pretio lingua Latina suo,
 3 lauriger Augustus vates ornare studebat
 4 (ut decuit) Flaccum Virgiliumque suos.
 5 Illius hinc crevit spatiosum fama per orbem,
 6 fama quidem nullo deperitura die.
 7 Ergo si nomen valet immortale parare,
 8 officiis doctos excoluisse viros,
 9 perge laboranti, rex, nunc succurrere Musae,
 10 quo pleno laudes concinet ore tuas.

AD PHILOMELA

L_2 v.1 Dulcia quae vasto meditaris carmina saltu
 2 vocibus argutis, huc, Philomela, veni.
 3 Utque diem radiis Phoebus patefecerit almam,
 4 somnia nectareis discute vana modis.
 5 Hic locus est inter densas gratissimus umbras,
 6 qui musco totus luxuriante viret.
 7 Hunc cole, multisoni concentus nota magistra,
 8 auriculasque tuo carmine pasce meas.
 9 Sic tibi contingant longae solamina vitae,
 10 et fetus similes gignere saepe tui.
 11 Sic pedicas auceps nullas tibi tendat avarus,
 12 viscoso pennas impediatur luto.

SYNCHRISIS CYGNORUM ET POETARUM

L_3 v.1 Cum niveis ipsos cygnis conferre poetas
 2 illum qui studuit, digna notasse puto.
 3 Candidus est toto concentor corpore cygnus,
 4 pectora sunt vatis candidiore nive.
 5 Laetus olor gelidis fluviis gaudere videtur,
 6 gaudet illimi fonte poeta suo.
 7 Dulcia Ledaes modulatur carmina cygnus,
 8 cum flores Zephyri lenior aura fovet,
 9 purpureo vates cum vere Favonius inflat,
 10 arguto resonum fundit ab ore melos.
 11 Viminea cygnus casula contermina ripis
 12 saepe sub ardenti sidere tecta petit,
 13 frigora vicinae silvae torrentibus undis
 14 aestivo vates tempore captat ovans.
 15 Quis neget albentes cygnos nunc atque poetas
 16 convenisse suis undique nominibus ?

IN EFFIGIEM TEMPORIS

L_4 v.1 Effigiem cuius referat, dic, ista tabella,
 2 quam pinxit vivo docta colore manus ?
 3 Temporis. Occipiti cur calvo ? Certior ut sis
 4 prensandam frontem temporis esse docet.
 5 Cur gerit has alas ? Rapido fugit ocior Euro,
 6 ni caveas, rebus prospiciasque tuis.
 7 Cur falcem dextra curvam gerit, oro, minaci ?
 8 Illa omnes hujus demetit orbis opes.
 9 Sola potest aciem divina retundere virtus.
 10 Hanc recolas, nec erat falx metuenda tibi.

AD MUSICAM TESTUDINEM

L_5 v.1 Tu mihi curarum testudo dulce levamen,
 2 cum canis, articulis sollicitata meis,
 3 tu mihi solamen studiorum suave meorum,
 4 assiduo quoties lassa Camena libro.
 5 Tu mihi composito, ad requiem bene dulce juvamen,
 6 comprimat ut lenis lumina fessa sopor,
 7 perge precor dominum modulis mulcere canoris,
 8 per me perpetuum sic tibi nomen erit.

COMMIGRATIO BONARUM LITERARUM IN BRITANNIAM

L_6 v.1 Cana bonas passim cantavit fama Camenas
 2 Alpinas numquam transiliisse nives,
 3 ut Pandionias facundia liquit Athenas,
 4 venit ad Italicos Musa polita lares.
 5 Fronte tamen salva dicam nunc, audiat ipsa
 6 Roma licet, Musas transiliisse nives.
 7 Nam penitus toto divisis orbe Britannis
 8 tersa Camena dedit verba rotunda loqui.
 9 Illa vetus linguis florebat Roma duabus,
 10 at linguis gaudet terra Britannia tribus.

AD CYGNUM, IOVIANI PONTANI CULTOREM

L_7 v.1 Pontani ingenium soles disertis
 2 cygne et ter nivea notare gemma.
 3 Pontani numeros soles fluentem
 4 et venam nivea notare gemma.
 5 Pontani hinc veneres, et hinc lepores,
 6 gemma ter nivea soles notare.
 7 Te gemma nivea notent venusti
 8 omnes, candiduli, elegantiores,
 9 cultorem resoni chori, meum qui
 10 Pontanum niveo notes lapillo.

AD AURORA

L_8 v.1 Purpureis venias invecta, Aurora, quadrigis,
 2 cernere da vultus o mihi diva tuos.
 3 Poscimus, et nos hic studiorum commonet alma
 4 Uraniae, roseo tincta colore veni.

INSTAURATIO BRITANNICAE ANTIQUITATIS

L_9 v.1 Doctorum genetrix fecunda Britannia, vatem
 2 ne te paeniteat me celebrare tuum.
 3 Nam mihi si vitae paucos produxerit annos
 4 Juppiter, et dederit prosperitate frui,
 5 quae modo sunt crassis monumenta obducta tenebris
 6 restituam Phoebos lucidiora tibi.

IN EFFIGIEM THOMAE DUNOVEDI, AD BRIENUM TUCCAM, EQUITEM ANGLUM, SERENISSIMO R...

L_10 v.1 Ingens gloria Martius Britannae
 2 gentis Dunovedus, ferae cruento
 3 qui, proh, naumachiae dolor tumultu
 4 inter fulmineos cadebat ignes,
 5 inter caeruleas peribat undas.
 6 Spirat (Tucca) tua elegante villa,
 7 pictus dexteritate tam absoluta,
 8 vivo vertice ut invicem capillos
 9 discretos vigili putes labore,
 10 ut nunc hinc oculos putes et illinc
 11 alterna subito rota moveri,
 12 et plenas tepido cruore venas
 13 toto corpore suscitare vitam.
 14 Quid quod mirificis modis venustet
 15 illustrem tabulam coronis alma ?
 16 In qua tot veneres, tot et lepores,
 17 tot blandae illecebrae, tot et colores,
 18 cum grata novitate suave rident,
 19 quod promittere noluisset umquam
 20 clarus Parrhasius, nec ipse Zeuxis.

AD ZACHARIAM IURISCONSULTUM

L_11 v.1 Doctis Zacharia artibus refulgens,
 2 qui Musas colis et leves choreas,
 3 Parnassum celebrem tuum relinque,
 4 nec spernas veteris casas amici.
 5 Sint quamvis humiles, tuae tamen sunt,
 6 virtutesque tuas canunt libenter.
 7 Ad lusus tibi cognitos venito,
 8 ornatus viridi caput corona,
 9 ac dextra tremula lyram canoram
 10 pulsa. Quis numeris neget valere
 11 te, quem plectiger ipse Phoebus olim
 12 omnes perdocuit modos canendi ?
 13 Sed tu desine plura nunc, Thalia.
 14 Phoebi Zacharias alumnus intrat.

IN EFFIGIEM ANDREAE SMYTHI, CHRISTOPHORUM FILIUM COMPLECTENTIS

L_12 v.1 Purpureis pinxit fucis quam clarus Apelles,
 2 Christophorum jungit viva tabella patri.
 3 Mollibus ingenuum puerum complectitur ulnis
 4 Smythus, Apollinei gloria nota gregis.
 5 Hoc quasi sentiret, radiantia lumina blande
 6 volvit amor patris delictumque puer.

7 Gaudet et amplexu cari puer ipse parentis,
8 cujus in optato lusitat usque sinu.

AD CYGNUM IUDICEM

L_13 v.1 Stabit iudicio cadetque semper
2 nostrum cygne tuo diserte carmen.
3 Quare si niteat suis figuris,
4 alma inter biferi roseta Paesti
5 atque inter violas suaviores
6 felix perpetuo toro fruatur.
7 At si purpureo vacet colore,
8 pascat loripedis dei caminos.

VOTUM AD LIBERTATEM

L_14 v.1 Non in Erythraeo fulgentes litore conchas,
2 aut molles Arabum postulo avarus opes.
3 Non ego monticulos argenti posco dolosi.
4 Candida Libertas, tu dea sola veni.
5 Quid juvat aurata circumdare tempora mitra ?
6 Quid Veneta corpus cingere veste juvat,
7 puniceo vel quid caput insignire galero ?
8 Candida Libertas, tu dea sola veni.
9 sceptrigeri valeant reges, gemmataque sarta,
10 et valeat splendor (nobilis aula) tuus.
11 Pictarum valeat nympharum cultus adulter,
12 candida Libertas tu dea sola veni.
13 Quicquid habet rutila dives Pactolus arena
14 cedat, et auriferi splendida ripa Tagi.
15 Cedite telluris sudantia munera vastae,
16 candida Libertas, tu dea sola veni.

AD STELLAM VIRGINEM

L_15 v.1 Stella, serenato color est tibi talis in ore
2 qualis mixta sient lilia quando rosis.
3 Lumina sideribus certant, auroque capilli,
4 mollia punicio murice labra rubent.
5 Maxima naturae possunt haec munera dici,
6 casta tamen quiddam mens tua majus habet.
7 Virgineum serva tam purae mentis honorem,
8 sic niteas alto lucida stella polo.

IMMORTALIS LINACRUS

L_16 v.1 Deseret ante suos modulos Philomela canoros,
2 nullus et in vitreo flumine piscis erit,
3 nullus ager verno producet tempore flores,
4 quam pereat nomen, docte Linacre, tuum.

NATALE SOLUM

L_17 v.1 Mantua Virgilium genuit, Verona Catullum.
2 Patria Londinum est urbs generosa mihi.

AD MARIAM HENRICI OCTAVI REGIS ANGLIAE FILIAM

L_18 v.1 Quicquid habent Charites niveae, Lenaeia proles,
 2 Musarum quicquid candida turba novem,
 3 quicquid habet Pytho, quicquid fecunda Minerva,
 4 denique virtutis femina quicquid habet,
 5 non minus est in te (Maria illustrissima rerum)
 6 conspicuum quam sol qui sine nube micat.

IN REDITUM AMICI

L_19 v.1 Spargite formosas violas, mea cura, Napaeae,
 2 spargite Paestanis lilia mixta rosis.
 3 Vos laetae choreas Charites jam ducite festas,
 4 sollicitaque novo carmine, Phoebe, lyram.
 5 Adsis laetitiae pater, et spumantia musta
 6 quae tua sunt larga munera funde manu.
 7 Namque domum rediit longum exspectatus amicus.
 8 Fausta mihi numeris omnibus ista dies.

AD GULIELMUM GUNTERIDEN AMICUM FIDELISSIMUM

L_20 v.1 O quantum illa dies semper mihi fausta colenda,
 2 quae studio junxit pectora nostra pari !
 3 Nam tunc Pimpleum montem conscendere primum
 4 conabar, sacris tingere et ora vadis.
 5 Tunc etiam Aonios montes lustrare parabam,
 6 nominis ac urbem, Pallas, adire tui.
 7 Denique tunc doctum Phoebum doctasque sorores
 8 vidi Aganippeae margine laetus aquae.
 9 Omnia quae tibi nunc, Gulielme, accepta referre,
 10 nostra cupit plena Calliopeia tuba.

AD CYGNUM, DE COMMIGRATIONE MUSARUM AD GRANTANAM ACADEMIAM

L_21 v.1 Doctiloquas constat peramoenum Heliconae sorores
 2 cum duce laurigeri deseruisse chori.
 3 Candide sed tandem scis quo nunc, cygne, migrarint ?
 4 Recta ad Grantanas, tecta diserta, scholas.

AD MUNIFICENTISSIMUM HENRICUM OCTAVUM ANGLIAE REGEM

L_22 v.1 Dii tibi dent omnes, rex illustrissime, parvum
 2 Henricum, referat qui patris ora sui.
 3 Dii tibi dent patri patriae, feliciter illa
 4 vivere Cecropii saecula longa senis.
 5 Dii tibi dent fidei tutori, maxime princeps,
 6 ut faveant votis optima quaeque tuis,
 7 qui facis, ut faveant, fulvo regaliter auro
 8 assidue votis optima quaeque meis.

LAUS HISTORIAE

L_23 v.1 Historiae quicumque cupit cognoscere laudes
 2 eximias, nostrò carmine doctus erit.

3 Quod sol aethereo praestat pulcherrimus orbi,
4 id nostris praestat usibus historia.

AD CAMAENAM, UT MARTIALEM SALUTET

L_24 v.1 I nunc Pegaseo gradu, Camena,
2 et docti pete tecta Martialis.
3 Scis tu certo ubi sint, viamque nosti ?
4 Volsaegi aedibus adjacent potentis,
5 qui nunc vel Tyrio relucet ostro.
6 Illic tu facilis fores modesto
7 pulsabis digito, rogans patronum
8 ut paucis veterem cliens salutes,
9 a curis modo pervacet severis.
10 Si tunc annuerit serenus ille,
11 intrabis. Pudor invenustus absit,
12 ac de more statim meo salutem
13 dices nomine plurimam. Docebis
14 ultra cur ego miserim te ad illum
15 plane magnificae virum nitelae.
16 Nempe hinc ut liquido meos amores
17 erga tam veterem probarem amicum,
18 integros, niveos fuisse semper.
19 I nunc Pegaseo gradu, Camena,
20 et docti pete tecte Martialis.

A GRAECO EPIGRAMMATE IN LAUDEM HOMERI

L_25 v.1 Ionibus astra suis, lunamque obfuscat et ipsam
2 auricomus medio Phoebus in axe nitens.
3 Non secus hymnisonos vates obscurat Homerus,
4 illustris claro lumine Pieridum.

IN EFFIGIEM AMORIS

L_26 v.1 Zeuxis in illustri tabula formabat Amorem
2 pictor, quo nullus clarior orbe fuit.
3 Purpureique botri teretes superaddidit uvas,
4 aligeri nivea munera digna manu.
5 In quibus ars sic est vivos imitata colores
6 luserit ut corvum praeda petita nigrum.
7 Pinxisset puerum, si quam feliciter uvas,
8 omni perfectum parte fuisset opus.

AD THOMAM LUPSETUM

L_27 v.1 Sunt qui pectore postulent avaro
2 thesauros Phrygii Midae nitentes.
3 Sunt qui Nirea maximis venustum
4 votis ore petant referre pulchro.
5 Sunt qui Caesareum ambient favorem,
6 munus tam breve blandientis aulae.
7 Sunt et qui ambrosiis gulae placere
8 affectent dapibus meroque dolci.
9 Ast ter magnum ego deprecor Tonantem,
10 Lupsete, ut liceat mihi petenti
11 tecum vivere, commorique tecum,

12 tam noto et niveo undecumque amico.
 13 Queis nunc si annuerit meis secunda
 14 sors votis, titulum inuidebo nulli
 15 quantumvis (mihi credito) superbum.

SUCCESSUS STUDIORUM SUORUM

L_28 v.1 Artes me septem docuit celeberrima Granta,
 2 et schola quae clarum de Iside nomen habet.
 3 Parisii at Musas mihi persuasere colendas,
 4 hinc variis cecini carmina mista modis.

AD THOMAM HOUARDUM, PRINCIPIS ICENORUM FILIUM

L_29 v.1 Qui genus heroo clarum de sanguine ducis,
 2 hos lege versiculos, candide Thoma, meos.
 3 Alter ab undecimo postquam te viderat annus,
 4 ingenium excoluit nostra Thalia tuum.
 5 Nomine quo faveam quantum tibi, nulla referre
 6 lingua quidem, sed nec scribere arundo valet.
 7 O utinam posses, diis concedentibus ipsis,
 8 cernere quae nostro pectore clausa latent.
 9 Tunc recte scires quo te praeceptor alumnum
 10 prosequar eximio semper amore meum.
 11 Pervia sed quoniam mortalia pectora non sunt,
 12 sint animi testes haec mea dicta pii.
 13 Siquid et officii nos te praestamus amando,
 14 esse rogo tantum par in amore velis.

AD CATULLUM

L_30 v.1 Sunt qui admirantur, sunt qui venerantur, et usque
 2 carmina suspiciunt, docte Catulle, tua.
 3 At mihi Musa quidem sic est blandita Marulli,
 4 amplius ut dubitem num tuus esse velim.
 5 Et mihi sic placuit Pontani Musa disertis,
 6 hinc ego dispeream, si tuus esse velim.

LUCRETIAE PUDICITIA

L_31 v.1 Cum foderet castum formosa Lucretia pectus,
 2 telaque purpureus tingeret atra cruor,
 3 tunc exempla dabat nullos moritura per annos,
 4 quam non mens tacto corpore tacta fuit.

AD FAMAM

L_32 v.1 Dic tandem mihi, fama, dic amabo,
 2 num donare velis meas Camenas
 3 grato munere longioris aevi.
 4 Non sum nescius hic quidem venustas
 5 illas esse parum. Tuum favorem
 6 qualescumque tamen petunt benigne.
 7 Quem si nunc dederis, novae studebunt
 8 formae, ac purpureum induent colorem,
 9 ut sint persimiles Catullianis,

10 ut sint persimiles Marullianis
 11 Pontanisque, fluentibus quidem illis
 12 Musis, nostra quibus nihil videbit
 13 aetas pulchrius, elegantiusve.
 14 Sed cur haec ego curiosus inquam,
 15 cum sis diva satis, tuapte sponte
 16 propensa hymnisonum beare vatem ?

APPLAUSUS POSTERITATIS

L_33 v.1 "Aera dum volucris, fluvios dum piscis amabit,
 2 applaudet numeris Musa Britanna meis."
 3 Forsitan invidulis nimium sperasse videbor,
 4 opto candidulos inter habere locum.
 5 Posteritas sileat, nullum sit in omine pondus,
 6 praesenti saeclo mi placuisse sat est.

AD THOMAM LUPSETUM

L_34 v.1 Laus notissima temporum tuorum,
 2 Lupsete, aequoreis frequens in ore
 3 facundo Venetis et eruditis
 4 Gallis hic placidam parabis aurem
 5 dum scribit numeros tuus volanti
 6 Lelandus calamo tibi dicatos,
 7 sint quamvis meritis tuis minores.
 8 Tam sunt omnia quae facis serena,
 9 ut non saecula tam nitere nostra
 10 possint splendidiusve fusiusve.
 11 Artes in patriam bonas reducis,
 12 linguas restituis politiores,
 13 thesauros veterum invehis librorum
 14 doctos, et recolis chorum disertum.
 15 Interpres facilis Latina formas
 16 ex Graecis monumenta, et ex Latinis
 17 rursus Graeca quidem labore grato,
 18 nec certe minus utili pioque.
 19 Perge hac ire precor via, nec alto
 20 Londino, patriae tuae meaeque
 21 clarus lumina tum feres minora,
 22 Germano eloquii suo Novo quam
 23 Como fulmine Plinius politus.

AD FORMOSUM, DE LIBERALITATE NICOLAI ODOVALLI

L_35 v.1 Defuit o studiis nostris crescentibus aurum,
 2 munus at Odalli sustulit omne malum.
 3 Ista prius faciles contemnent pectora Musas,
 4 et capient laeto Gothica verba sinu,
 5 illius hoc in me meritum quam oblivio magnum
 6 impia Lethaeis mergere possit aquis.

AD NOBILEM QUENDAM IUVENAM

L_36 v.1 Carmina bella canis, dulci fluitantia vena,
 2 quae referunt dotes ingeniumque tuum.
 3 Fac simili pergas filo deducere versus,

4 et lepidum cinget festa corona caput.

DE THERMIS BRITANNICIS

L_37 v.1 Nota Murotrigum calidis stat gloria thermis,
 2 quo nitet eximium flumen Avona loco.
 3 Hic natura potens tepidos (miracula) fontes
 4 excitat, et quaedam vis salientis aquae est.
 5 Crediderim venas vicinas sulphuris esse,
 6 nascitur unde latens perpetuusque tepor.
 7 Et si quando latex ebulliat auctior, ater
 8 consurgit fumus, foetor et inde gravis.
 9 Tres numero fontes (memini si rectius) extant,
 10 regius, inter quos nobile nomen habet.
 11 Cinguntur muro. Sedes quoque regius offert
 12 excisas saxi sedulitate pia.
 13 Colluit in medicis undis numerosa caterva,
 14 fracta salutifero et membra calore fovet.
 15 Hic urinantum puerorum in margine fontis
 16 sperat denarios officiosa cohors,
 17 talia decantans, "Visne, hospes candide, nostra
 18 uti nunc opera ? Turba parata sumus.
 19 Dives et es largus, tua nunc patet atque crumena,
 20 promittens nobis praemia laeta macris.
 21 Haec eadem poscunt fontes de more salubres,
 22 hospitis extollunt munificamque manum.
 23 De meliore nota paucos nunc projice nummos,
 24 undas in medias subsideantque graves.
 25 Nos tamen insultu facto scrutabimur ima.
 26 Desine mirari, nos referemus opes."
 27 Hactenus et pueri. Doctorum turba virorum
 28 undique decertant quae sit origo loci.
 29 Somnia Cambrorum Bladudum ad sidera tollunt,
 30 inventorem operis scilicet eximii.
 31 Maildulphusque sui decus admirabile saeculi,
 32 Caesaris hic curas officiumque probat.
 33 Territa quaesitis ostendit terga Britannis
 34 Caesar, et officium praestitit ille ? Logi.
 35 Induperatores alii, Romanaque virtus
 36 urbem Thermarum percoluere suam,
 37 moenibus inque ipsis retinet monumenta Quiritum
 38 antiquae clarum nobilitatis opus.
 39 Gloria thermarum sic luceat inclita semper,
 40 tantum sint memores hospitis usque mei.

AD MUSAM SUAM, UT CHRISTOPHORUM SMYTHUM SALUTET

L_38 v.1 Christophoro multam Smytho dic, Musa, salutem,
 2 cum dabis hoc versus, munera grata, meos.
 3 Ille puer quamvis decimum vix computet annum,
 4 extersis loquitur verba Latina modis.
 5 Histrion, cum scaenis gestit comoedia, laudem
 6 accipit, et plausu laeta theatra sonant.
 7 Voce refert tristi cum tristia facta tragoedus,
 8 spectator lacrimis maestulus ora rigat.
 9 Illius hinc genitor componit Apolline dextro
 10 carmina, perpetuos quae meruere cedros.
 11 Haec eadem argutus recitat cantatque puellus,
 12 diffluere in labris Attica mella putes.

13 Ingenii sunt ista quidem vel signa beati,
 14 nec tamen ingenio candida forma minor.
 15 Scire cupis vultus quae sit praestantia ? Talis
 16 est in Apelleis qualis Amor tabulis.
 17 Sic nostrae volui te commendare Camenae,
 18 virtus laudata ut cresceret illa tua.

COLLATIO PLUTARCHI ET SEVERI

L_39 v.1 Plutarchus vitas scripsit, vitasque Severus,
 2 et pulchre officio est functus uterque suo.
 3 Quanto Plutarchus lingua praestantior, alter
 4 materie tanto est clarior atque fide.

AD CALLIOPEM

L_40 v.1 Calliope lasso veniam dabis incllyta vati,
 2 officii non est immemor ille sui.
 3 Crastina cum roseos vultus ostenterit orbi
 4 Aurora, ad solitum penna recurret opus.

AD GUILIELMUM BLONDEM, TITULO MONTIOII, ILLUSTREM

L_41 v.1 Sequanicis mitto parvum tibi munus ab oris,
 2 candida Pierii gratia, Blonde, chori.
 3 At si animum spectes, magnum misisse videbor.
 4 Res ubi deficiunt, est voluisse satis.

AD IOANNEM FRATERCULUM, INSIGNEM MEDICUM

L_42 v.1 Me curis vacuum beata rura
 2 nunc, fratercule, detinent amice.
 3 Contentus laris hic quiete parvi,
 4 (sed quem fertilis hortulus coronat),
 5 compono lepidos poeta versus,
 6 versus quos, Clario favente, docta
 7 forsitan posteritas canet probatos.
 8 Te sacrae retinet locus sophiae,
 9 illic lector ubi frequens columnas
 10 tritas occupat, et labore longo
 11 palmae dulce decus parat superbae.
 12 Unde inter medios sophos sophistas
 13 monstraris digiti nota benigni.
 14 Ut tu gymnasii celebritate
 15 gaudes, sic ego amoenitate ruris.

AD SOMNUM

L_43 v.1 Grata quies fessis membris dulcissime somne,
 2 languida permulcens lumina, somne, veni.
 3 Fulserit ignifera cum clarus lampade Phoebus,
 4 hinc e turgidulis, somne, recede genis.

UNIO ROSAE ET LILII

L_44 v.1 Prima rosis sedes picto debetur in horto,
 2 proximam et a prima lilia cana tenent.
 3 Illae Sidoniae tinguntur murice gentis,
 4 haec sunt Sithonia candidiora nive.
 5 Illas noster amat, tanquam sua stemmata, princeps,
 6 haec etiam summo Gallus honore colit.
 7 Lilia purpureis dii jungant alba rosetis,
 8 vernet ut in terris pacis alumna quies.

E GRAECO

L_45 v.1 Candidus est ingens plane thesaurus amicus,
 2 siquis servandi norit habere modum.

AD BRIENUM TUCCAM, HENRICO OCTAVO REGI A THESAURIS

L_46 v.1 Lumen Pierii gregis, Briene,
 2 quem vel tergeminis virum caterva
 3 doctorum titulis ad astra tollit,
 4 si te non teneant tui meique
 5 causae principis inclyti severae,
 6 ignotam accipe schoedulae Camenam,
 7 quae pro tempore gratiam laborat
 8 his paucis numeris apud te inire,
 9 ut sic freta tua benignitate
 10 plures ac etiam elegantiores
 11 promat, queis celebrem tuam Britannis
 12 virtutem faciat celebriorem.

IN EFFIGIEM NYMPHAE TERRARUM ORBEM ALTERO CALCANTIS PEDE

L_47 v.1 Castalios decorat Smythi formosa penates
 2 Nympha, coronati Zeuxidis arte nitens.
 3 Stat roseo vultu, crispat quoque vertice plumas,
 4 sindone se mediam, caetera nuda, tegit.
 5 Calcat ovans orbis subjecta cacumina vasti,
 6 femina quod juvenes presserit atque senes.

AD CHRISTOPHUM SMYTHUM MAXIME SPEI PUELLUM

L_48 v.1 Inter candidulos decus puellos
 2 non vulgare quidem, novem sorores
 3 ipsas qui colis, huc adesto, Smythe,
 4 dum nos primitias damus recentes,
 5 suadente hendecasyllabos Thalia.
 6 Huc aurem facilis tuam reflecte,
 7 nostrum et consilium libenter audi,
 8 Muis sic potieris et cito almis.
 9 Selectos veterum bono libellos
 10 edisce auspicio, ex quibus Latinae
 11 linguae munera comparabis ampla.
 12 Si porro cupias venustus esse,
 13 et tersum ac teretem stylum peroptes,
 14 tunc amplectere candidi Terenti
 15 argutum eloquium. Sales docebit

16 sparsos ac Venerem simul jocosam.
 17 Si molles numeros amor decorus
 18 exposcat, tibi Naso tunc colendus.
 19 Solus regnat enim potens rotundo
 20 versus ore loqui. Duos foveto
 21 hos recte, teneris tuis dicatos
 22 annis. Ne fugias cave citato
 23 ut praeter casulam gradu, morantes
 24 mellito refovent cibo puellos.

IN ADVENTUM CANDIDAE LIBERTATIS

L_49 v.1 Venisti toties petita tandem,
 2 libertas placidae mihi quietis.
 3 Illud dulce quidem datura munus
 4 quo curam minuas laboriosam,
 5 et tristes animi mei labores.
 6 An fallor volucris nigrore somni ?
 7 Ipsa est. Nosco etenim remissiolem
 8 frontem, lumina laeta, siderumque
 9 instar, tota micantia hinc et illinc.
 10 Tum vestes video leves, et auro
 11 servili vacuas, tamen decentes.
 12 Subridet loculum ferens apertum,
 13 laudata mediocritate felix.
 14 Felix et comite optima Quiete,
 15 nec pili faciens opes Midaeas,
 16 fortunam tenuem beata praefert.
 17 Qua nunc laetitia, quibusve digne
 18 adventum celebrem tuum corollis ?
 19 Vos Musae, mea cura maxima, o vos
 20 Musae incendite nunc focus Sabaea
 21 plenis munera. Vos rosas suave
 22 spirantes date, caeterosque fundit
 23 quos ver purpureum novos odores.
 24 Haec nam prima dies tulit salutem,
 25 libertate mihi favente blanda.

QUALIS GULIELMUS LATIMARUS ISIACUS

L_50 v.1 Si quis Cecropiae gentis sermone venusto
 2 floret, et eloquio, Roma diserta, tuo,
 3 si quis Aristotelis fecunda volumina versat,
 4 iudicii rara dexteritate boni,
 5 si quis legiferum Mosen sanctosque prophetas
 6 excolit, ac Christum purius ore docet,
 7 si quis, avaritia pulsa, mediocria curat,
 8 est ea Latimari gloria vera pii.

PARDUS VENATOR

L_51 v.1 Aeripedem cursu volucris praevertere cervum
 2 nuper erat canibus palma superba citis.
 3 Prodiit intrepide, non vinci at vincere sperans
 4 Pardus, habens maculis vellera sparsa nigris.
 5 Cursu Gnessiacas illum superare sagittas
 6 et volucres credas vincere posse leves.
 7 Romanis, rerum dominis, venatio forsan

8 perplacuit. Similem saecula nostra vident.

AD IUSTUM, PAULINAE SCHOLAE MODERATOREM

L_52 v.1 Qui linguas teneras nova refingis
 2 quadam dexteritate, nec ruinam
 3 Musarum pateris nitentium ullam,
 4 tu nunc, Juste, meum manu benigna
 5 carmen suscipe, lectitaque pridem
 6 conscriptum monitore praepotente
 7 Phoebo, cujus amor mihi indies sic
 8 crescit, conspicuos ferens ab alto
 9 Caelo tot radios, quod haec arundo
 10 istis nunc facile illinire chartis
 11 certe nulla potest. Lubens patroni
 12 at magni imperium sequetur omne,
 13 virtutesque tuas ad astra tollet
 14 comptis hendecasyllabis Phalaeci,
 15 quos Paulo chorus ille consecratus
 16 laudem concinet in tuam canorus.

COLUMNA IN ISIDIS VADO, A NICOLAO CRATZERO MATHEMATICO ERECTA

L_53 v.1 Marmoreas cantat celeberrima fama columnas,
 2 quas claris statuit maxima Roma viris.
 3 Nec minus insignem cantabit fama columnam,
 4 Cratzeri artifices quam statuere manus.
 5 Candida Zodiacus circumdat circulus apte
 6 marmora, quae vario picta colore nitent.
 7 Fulgidus auricomo cum splendet lumine Titan,
 8 umbriferis spatiis tempora certa docet.
 9 Num nitidis fulget Phoebe redimita coronis,
 10 horarum numeros linea tincta notat.
 11 Praeterea variis inscripta columna figuris
 12 astrorum motus ingeniosa refert.
 13 Cujus ab exemplo doctorum turba columnas
 14 erexit rara sedulitate novas.

AD N. IONUM

L_54 v.1 Illustris veteres notae poetas
 2 tu versas studiose, Ione, dextra
 3 nostro consilio. Precor recepta
 4 ut provincia nunc tuo labori
 5 fructus accumulet favente Musa
 6 amplos. Dimidium quidem negoti
 7 est recte incipere, exitus probabit
 8 dictorum niveus fidem meorum.
 9 Durum principium, sed hoc voluptas
 10 mollit blandula. Scire quae sit ista
 11 vis ? Audi. Resonos colit poetas
 12 quisquis iudicio valet profundo.
 13 Ille autem poterit volare certis
 14 pennis per varias vices, et atris
 15 lucentem tenebris opem referre.
 16 Hinc tutus poterit genusque quodvis
 17 doctrinae melioris ore terso
 18 orbi pandere, et Aonias sorores

19 sacris montibus evocare, cum queis
 20 aut molles elegos amator ardens
 21 totus consonet, aut cruenta grandi
 22 cantet bella virum tuba, deorum
 23 laudem aut hymnisonis modis supremam,
 24 vel fulgentia ad astra transfiguret.
 25 Me sic magna loqui putes, modo adsit
 26 viva industria, mens et incalescens.
 27 Maturas segetes tui laboris
 28 exacti pretium ferēs perenne.

LAUS MACRINI

L_55 v.1 Barbitos argutis Macrini personat odis,
 2 quas vel Pierides concinuisse velint.

COMPARATIO IN GLORIAM HENRICI OCTAVI REGIS POTENTIS

L_56 v.1 Quantum puniceis novo rosetis
 2 cedunt vere suis rubeta spinis,
 3 quantum lilio amoenioris horti
 4 gemmae omnes aliae nitore cedunt,
 5 quantum caetera punicis decoro
 6 malis poma quidem rubore cedunt,
 7 quantum coniferis breves myricae
 8 concedunt quoque gloria cupressis,
 9 quantum stelligero repressa tellus
 10 Caelo mole sua et nigrore cedit,
 11 tantum omnes alii celebritate,
 12 Fama, nomine, gloriaque vera
 13 (ut mittam ingenii valentioris
 14 lumen, flumina, fulmen atque vires
 15 rari iudicii tui perennes)
 16 concedunt tibi principes sereni,
 17 Henrici, o patriae tuae columna
 18 talis, qualis erat celebris illa
 19 olim quam extulit Hercules triumphans.

AD MUSAS

L_57 v.1 Aonis quae montibus assoletis
 2 lusitare, et virgineam choream
 3 ducere, insertis manibus, sorores
 4 carmine dulci,
 5 ferte vires, atque lyram canoram
 6 consonis hic versiculis poetae
 7 cognito gratissima dona vestro
 8 ferte sorores.
 9 Omnis arbor parturiens odoris
 10 floribus, spirante Favonio tam
 11 molliter, mentem ad numeros canoros
 12 illicit almam.
 13 Asperae brumae impatiens hirundo
 14 tecta (nidos intrepidus quidem illos)
 15 jam relinquens penna agili serenas
 16 verberat auras.
 17 Saepibus laetae volucres amoenis
 18 dulce cantillant, resonantque claris

19 vocibus pulsata celebriori
 20 aethera cantu.
 21 Si lyram Musae faciles rogatam
 22 hic novo vati dederitis, aptis
 23 laudibus divina canet benignus
 24 Numina vestra.

AD FRANCISCUM POINUM, EQUITEM UNDEQUAQUE CLARISSIMUM

L_58 v.1 Sic, Francisce, tuis chorus canentis
 2 Phoebi laudibus insonat, decora
 3 ut se quisque putet sacri tulisse
 4 vatis nomina, gloriamque et una
 5 ornamentum hederæ sequacis alium,
 6 si te carmine laudet, ornet, effert,
 7 quem Musae, Charites, Venus, Leposque
 8 tollunt unanimes ad astra celsa.
 9 Quare nunc mea candidum Thalia
 10 persuasit mihi calculum inserendum,
 11 quo dotes celebrem tuas benignus.
 12 Gaudes qui rigidos et inter hostes
 13 blando Pegasides sinu fovere.
 14 Contendisque tuis dare id Britannis,
 15 priscis quod dedit inclytus Latinis
 16 Maecenas studiosus et Maronis,
 17 et Flacci lyrici illius poetae.

IUDICIUM DE BRIXIO ET MORO

L_59 v.1 Brixius est nivei candoris plenus, et ille
 2 iudicii veri libera verba ferit.
 3 Brixius aequavit mellito carmine Morum,
 4 clarior ingenii nomine Morus erat.

AD EPHOEBUM

L_60 v.1 Nactus opportunum tempus, formose, salutem
 2 Lelandus multam mittit, ephebe, tibi.
 3 Nec modo contentus solam misisse salutem,
 4 dona etiam studiis mittit et apta tuis.
 5 Nempe hoc reticulum, nervoso stamine tensus,
 6 bisseñas numero Sequanicasque pilas.
 7 Tu scio gaudebis collato munere parvo,
 8 ac si misissem gemmea dona tibi.
 9 Nec sine causa equidem : si tandem iudico recte
 10 respondent annis munera nostra tuis.

AD BRIENNUM TUCCAM, EQUITEM

L_61 v.1 Virgilii carmen quod non violaverit ignis
 2 "Tucca" dedit, tu das Bacchica sarta mihi.
 3 Quilibet e doctis versus servaret ab igne,
 4 principis est hederam sed tribuisse viri.
 5 Quanto privatus minor extat principe, tanto
 6 major Romano Tucca Britannus erit.

SCIURUS CHRYSIDIS

L_62 v.1 Hastas dum coryli colit vibrantes
 2 rufus testigeram nucem sciurus
 3 hamis prandiolum rotans aduncis,
 4 aures laetus et arrigens acutum,
 5 erectusque sedens statim reduxit
 6 et caudam ad tremulum caput pilosam,
 7 naturae referens suae latentem
 8 certe nescio quam potentiam, unde
 9 et nomen proprium inditum eleganter,
 10 illic scilicet oriens Pelasgo e
 11 fonte, et significanter undecumque.
 12 Hunc exercet acutulos receptis
 13 testis denticulos, opusque fervet.
 14 Fragmenta undique decidunt refracta,
 15 testarum et cumulus cito fit ingens.
 16 Elugent sua praemia haec puelli
 17 sic sublata quidem, frequenter idque
 18 tunc viscum et pedicas, crucem tyranno
 19 immiti, unanimes minantur omnes.
 20 Felix ille tamen fame repulsa
 21 maturas coryli nuces recondit
 22 cautus continuo horreis in ipsis,
 23 illic arbor ubi incavata prostat,
 24 securosque toros suis alumnis
 25 musco luxuriante praeparavit.
 26 Libertatis erat sciurus iste
 27 cultor perpetuus, sed (heu) puellus
 28 unus fraudibus usus (heu) malignis
 29 tam gratae invidet illius quieti.
 30 Hic vero nemus omne curiosus
 31 collustraverat, et dolo assuetus
 32 compegit remoras quibus miselli
 33 vel collum implicet, aut pedes catenet.
 34 Ignarus laquei sciurus atri
 35 praedatum egreditur vagus per umbras
 36 optatas, coryleta qua virescunt
 37 et fructus reparant suos abunde,
 38 nec quicquam timet. Interim impeditus
 39 et multum subito malo gravatus
 40 persentit pedicae subesse fraudes.
 41 Contendit miseris modis retorta
 42 vi dissolvere vincla. Ibi tumultu
 43 at nil proficit, arctiusque tandem
 44 irretitus et involutus omnem
 45 servus spem projicit, doloque cedit.
 46 Praestructor videt, advenitque laetus
 47 et vinclis cito praedulam solutis
 48 captae colla ferae premit catena.
 49 Hinc prudens animalculo puellus
 50 tam molli et lepido potitus urbem
 51 turritam repetit, sui et patroni
 52 haec munuscula deferens amicae.
 53 Formosam Venerem salutatur ore.
 54 Tunc illa officii memor puellum
 55 laudatum aureolo venusta donat.
 56 Chrysis bella suis videns parata
 57 dona haec deliciis comit fovetque,
 58 cicurat quoque dextera sciurum
 59 molli, ac ambrosios cibos ministrat.

60 Nunc collum illius aurea catena
 61 cingit, longius ille ne vagetur.
 62 Sic qui frondicola esse totus olim
 63 assuevit, facile hac domesticus fit.
 64 Et non illepidos movere lusus
 65 doctus, tum dominae suae placere,
 66 cujus tam bene cognitam ille frontem
 67 observator habet, nuces amarae
 68 quam fuscas coryli. Nigros ocellos
 69 observat dominae, indices doloris
 70 atri laetitiaeve, quos solo ipso
 71 fixos cum videt, o quot ille tristes
 72 tum curas simulat ? Severus aures
 73 demittit teneras, gemensque maesta
 74 claudit lumina, velat omne pansa
 75 cauda corpus, et algida recumbit
 76 terra, tristitiam docente vultu.
 77 At cum Chrysidis aureae micantes
 78 cernit clare oculos, redit lubenter
 79 ad lusus veteres et ad cachinnos.
 80 Fulgentis dominae sinum tepentem
 81 scandens lacteolas premit papillas.
 82 Atque, ut Chaoniae solent columbae,
 83 jungit molliculis labella labris.
 84 Nunc tundit pedibus ferox protervis
 85 pectus marmoreum suae Dianae,
 86 iras et simulat graves receptas.
 87 Nunc et depositis minis serenus
 88 fingit ludicra blandulus faceta,
 89 notum praemio lulum petens nucellae.

IN REDITUM RICHARDI PACAEI, UTRIUSQUE LINGVAE ORNAMENTI CLARISSIMI...

L_63 v.1 Jam sospes rediit noster ab inclytis
 2 Pacaeus Venetis, Aonidum decus,
 3 et secum in patriam lumina rettulit,
 4 aut (verum ut fatear) numina rectius.
 5 Ecquis lucidulis candidus unio
 6 conchis innitet, ecquis mihi fulgidus
 7 ramus concrepitat frondibus aureis,
 8 cum quo pectoris ingentia gaudia
 9 plaudentis celebrem ? Quae mihi consonae
 10 Musae clara ferent carmina, queis ego
 11 Pacaeo reduci gratuler intime ?
 12 Quem absentem miseris vocibus ambiit
 13 doctorum chorus, " o sidera" conquerens
 14 "vel crudelia." Quem splendidus insuper
 15 Nympharum numerus notus Apollini
 16 absentem indoluit mirificis modis.
 17 Quem salvum ac reducem visere gestiens
 18 grex natus studiis, plausibus assonat,
 19 quem Musae reducem denique splendidae
 20 vinctae purpureis tempora floribus
 21 certant carminibus vel ter ovariantibus
 22 ad caeli nitidi tollere culmina.

IN STATUAM IOANNIS COLETI, FANI PAULINI DECANI

L_64 v.1 Eloquio juvenes ubi Lillius ille polivit,

2 in statua spiras, magne Colete, tua.
3 Quam si Praxiteles fecisset magnus et ille,
4 forsitan aequasset, non superasset opus.
5 Hac salva statua, divini forma Coleti
6 temporibus longis non peritura manet.

AD IOANNEM DICONUM

L_65 v.1 Eximius nostri cultor, Dicone, fuisti
2 nominis, eximius cultor et ipse tui.
3 Saepe tibi nugas nostras recitare volebam,
4 saepe mihi nugas tu recitare tuas.
5 Posteritas igitur merito testabitur ipsa,
6 Numen amicitiae nos coluisse pium.

AD CYGNUM

L_66 v.1 Cygne, coronasti viridi mea tempora cisso,
2 et mea sunt hederæ munera, cygne, tibi.
3 Crescite felices hederæ, felicia vatum
4 praemia, non ullo deperitura die.

AD THOMAM MILONEM

L_67 v.1 Dicerer a cunctis merito ingratiſſimus esse,
2 si non laudaret te mea Musa, Milo.
3 Tu me vel teneris annis utroque parente
4 orbum accepisti, vel pietate mera.
5 Tu me informandum studiis melioribus usque
6 curasti. Instructor Lillius ille fuit,
7 cujus ab industri cura didicere Britanni
8 facunde pubes ingeniosa loqui.
9 Tu me Socraticos juvenem post inter alumnos,
10 qua nitet eximie Granta beata, locas.
11 Deinde etiam Isiacam petii feliciter urbem,
12 extincto Iceno principe morte meo.
13 Postremo Henrici regis mihi gratia multum
14 profuit Octavi, munificaeque manus.
15 Hinc mihi facta domus studiosa Lutetia, ad unguem
16 doctos qua colui sedulus urbe viros,
17 Budaeum, Fabrum, Paulum Aemiliumque, Ruellumque
18 aeternis plane nomina digna cedris.
19 Pro quibus o meritis cessabit fundere summo
20 Lucifer ante suum clarus ab axe jubar,
21 impiger et fluctus odio delphinus habebit,
22 aequoreasque ferox ursus amabit aquas,
23 quam, Milo chare, tuum labatur pectore nostro
24 nomen, quod pietas persolvat ipsa sinu.

AD PETRUM VANNUM

L_68 v.1 Laudasti tenuem, doctissime Petre, Camenam
2 qua cecini Tuccae nomina clara mei.
3 Ipse tua mentis niveum laudabo vicissim
4 candorem, simili non ratione tamen.
5 Nam tuus ille mea candor decus addere Musae,
6 candori poterit nil mea Musa tuo.

GRATULATIO AD AMICUM PRO MUNERE

L_69 v.1 Temporibus duris quod certe defuit aurum,
 2 a famulo accepi munera grata tuo.
 3 Quid tibi nunc reddam tali pro munere munus,
 4 mittere cum tenuis sors mea magna vetet ?
 5 Si praestare novem quicquam per carmina Musae
 6 possint, et siquid fautor Apollo meus,
 7 deseret ante suas sylvas Philomela canora
 8 quam non officii sim memor ipse mei.

AD GONELLUM, UT URBEM RELINQUAT

L_70 v.1 Cur tanto studio colas celebris
 2 Londini Aonie improbos Gonelle
 3 luxus non video, quibus fovetur
 4 corpus molliculum, ingeni impotenter
 5 cura posthabita sacri, vel illos
 6 cur vanos strepitus ames superbae
 7 urbis, multiloquus licet popellus
 8 te monstret digito, quod inter ipsos
 9 doctos doctus et ipse consequaris
 10 linguae delicias meras Latinae.
 11 Averte auriculas tuas ab illo
 12 plebis iudicio levi frequenter.
 13 Si laudis solidam petis coronam,
 14 secessus pete, conferent et illi
 15 flores ad cumulum venustiores.
 16 Aedes ergo age civicas relinque.
 17 Nam me iudice non videtur ille
 18 dignis sat propriae modis studere
 19 vitae, qui genium suum per urbis
 20 cessator medias fovet popinas,
 21 quin ultro ingenium colit qui amoenum
 22 intento studio et quidem perenni.
 23 Hic forsitan videor tibi molestus,
 24 dum totus cano cantilenam eandem.
 25 Certe candor, amor, movent iubentque,
 26 ac nunc ultra etiam imperant, ut audax
 27 scribam sustineamque constitutam
 28 causam, sed ratione quadam honesta
 29 hac, ut pervehemens velim videri
 30 orator potius tibi, imperator
 31 quam subdurus ego. Satis voluntas
 32 est autem tua cognita, at laboro
 33 currenti stimulum addere impetentem.
 34 Sic villam repetas tuam beatus,
 35 commissamque tibi sacro patrono
 36 defendas querulos pius clientes.
 37 Te Grantania praedicabit illa
 38 qua floret schola maxime diserta,
 39 linguae et gloriola utriusque pollens.
 40 Venatoria te statim obviisque
 41 gens amplexibus advolans fovebit
 42 vivum, tum reducem sibi valentemque
 43 hinc inde accipient. Libenter ergo
 44 secessum celebra, relinque et urbem.

QUALE CARMEN BORBONII

L_71 v.1 Talia Borbonius modulatur carmina vates,
2 qualia cum moritur concinit albus olor.

IN EFFIGIEM D. HIERONYMI

L_72 v.1 Dive tuos cerno quoties Hieronyme vultus,
2 scripturae toties ardeo amore sacrae.

AD LECTOREM DE CYGNI QUERELA

L_73 v.1 Palladias misere facundus cygnus Athenas
2 ingeniis queritur non superesse bonis.
3 "Quid Pandioniae jam sunt nisi nomen Athenae ? "
4 carminibus cecinit Naso poeta suis.
5 Sed cur sic queritur ? Florebunt semper Athenae,
6 Atticus aeterno perfluet ore lepos.
7 Urbes ut pereant, facundia nulla peribit,
8 gloria virtutis non moritura viret.
9 Naturae vitio fons areat unus et alter,
10 non exspectatus tertius ecce fluit.
11 Ingenii eloquiique vices commutat et ipsa,
12 sic tamen ut reparet semen utrique bonum.
13 Urbis Athenarum monumenta illustria multum
14 suspicio, veneror, percolo, laudo, cano,
15 nomen Athenarum mihi non bene tinnit ad aurem
16 nudum. Granta quidem personat usque mea.
17 Illam barbaries Scythicis foedavit ab oris
18 urbem, progenies et truculenta, Getae,
19 hanc Sigbertus apex regni, et Burgundio Felix
20 certabant studiis condecorare sacris.
21 Vicus (et exiguus tantum) male tectus et ille
22 antiquae famae perdidit omne decus.
23 Cognitione trium linguarum Granta coruscat,
24 Attici et eloquii fulmine praestat acri.
25 Quam juvat ingenuae nutricis dicere laudes !
26 Parta per illam si nunc mea fama nitet !
27 Tempora deducant longam felicia vitam,
28 laudibus assurgam, Granta serena, tuis.

AD BRIENUM TUCCUM, IN FRONTISPICIO PROCOPII

L_74 v.1 Si quid in humanis sit rebus reddere possit
2 quod nos prudentes multisciosque viros,
3 si quid sit vitae quod prosit, et undique mentem
4 moribus informet terque quaterque bonis,
5 historia hoc praestat, Tucca ornatissime, cujus
6 nulla tibi laudes dicere Musa potest.
7 Accipies igitur quem mitto fronte serena
8 hunc Procopium, studiis munera digna tuis.

AD THOMAM SULMONEM, HENRICO OCTAVO ANGLIAE REGI AB EPISTOLIS GALLICIS

L_75 v.1 Tu mihi doctrinam tribuis laudemque disertis,
2 et celebras longo nomen honore meum.

3 Non ego, mi Sulmo, tali me dignor honore,
4 laurea nominibus convenit ista tuis.

IN NATALEM DIEM

L_76 v.1 "Tempora Pierides roseis vincite corollis,
2 consona Castaliae fila movete lyrae.
3 Haec est festa dies, qua primum vidimus illa
4 sideribus picti lumina clara poli.
5 Haec lux alma quater senis natalibus Idus
6 Septembris reparat, tempora laeta quidem,
7 atque mihi certe niveo signanda lapillo.
8 Officii ut videar commeminisse mei.
9 Sic mihi Nestoreos concedat Juppiter annos,
10 et det tranquilla prosperitate frui.
11 Deliciis nec enim statuo hic extendere vitam,
12 otia vel rebus pigra fovere malis.
13 Hoc tantum cupio, studiis prodesse politis,
14 laudibus et patriae crescere certo meae."
15 Nobilis illa fuit, sed tantum hoc defuit unum,
16 scriptores memores, posteritatis amor.
17 Vos antiquarum rerum (mea cura) Britannii,
18 sollicita excutitis qui monumenta fide,
19 exserite o calamos, exempla ostendite clara,
20 patria ut eniteat picta colore suo.

AD LAURENTIUM SPARCHFORDUM

L_77 v.1 Si fortuna potens meis faveret
2 votis, praemia pectore allubente
3 donarem aurea. Sed mihi volenti
4 haec sors invida cum neget, retortam
5 ostentans faciem, boni feres nunc
6 parvum carmina munus ista. Tantum
7 effusos numeros sinit severum
8 hoc tempus dare, quos tuus benignus
9 certe poscit amor. Manet repostum
10 namque imis penetralibus tenacis
11 Constantisque animi, quibus beasti
12 me pridem officiis domi tuae, cum
13 Smithum, delicias meas, venirem
14 visurus. Poteram et lubenter illic
15 tecum perpetuos dies manere.
16 Nymphis non Helicon sacris videtur
17 fons nunc gratior, illa quam tua istinc
18 visa est villa mihi, nitens serenum
19 passim floribus et situ tam amoeno.
20 Supplex comprecor ut tuis amicis
21 serves atque tibi valens (paratum
22 Musis hospitium) bonis ad annos
23 illos centuplices, gravis nec unquam
24 vitae taedia sentias amara,
25 mi Sparcforde, vel horridum ruentis
26 Fortunae illius impetus feroces.

IN EFFIGIEM FORTUNAE NAVIGANTIS

L_78 v.1 Navigat aequoreo Fortuna in gurgite picta,

2 qualis Apelleis est Venus in tabulis.
 3 Lubrica dat puppim lunatus corpora delphin,
 4 caeruleas sulcans impete ventris aquas.
 5 Dat tenuis sindon curvae quoque vela carinae,
 6 quam tenet in nivea splendida virgo manu.
 7 Quatuor horrisono spirantes turbine venti
 8 distendunt pleno flamine vela simul.
 9 I nunc, et dubites tecum Fortuna proterva
 10 cur una nequeat sede manere diu.

AD GULIELMUM GUNTERI FILIUM

L_79 v.1 Herculis aeterni celebrant praeconia vates,
 2 victor quod Cacum presserat ille trucem.
 3 Cecropius famae tulit inclyta praemia Theseus,
 4 qui saevum rigido contudit ense Sinin.
 5 Nec minor ipsius crudelem fama latronem
 6 quod Sciron ad Stygias miserit ultor aquas.
 7 Si tanta Alcidis debetur gloria facto,
 8 si tanta Aegiden gloria jure manet,
 9 quanta tuis merito accedent encomia factis,
 10 10 quo duce piratae, victa caterva, jacent ?
 11 11 Quos neque Turcarum potuit convincere princeps,
 12 12 armiferisve Rhodos insula clara viris,
 13 13 quos neque vitiferae potuerunt agmina Cretae
 14 14 vincere, quos Veneti nec potuere duces.
 15 15 Macte animo, et nostris fac talibus aequora purges,
 16 16 Guntere, armisoni cura decusque Dei.

AD THOMAM VOLVESAEGUM, ARCHIEPISCOPUM ISUROVICANUM

L_80 v.1 Sic tuus Henricus, regum qui gloria florens,
 2 perpetuo studio te colat, ornet, amet.
 3 Sic pia conjungat proceres concordia magnos,
 4 ut justo belli fulmine Turca ruat.
 5 Sic vastas operum tantorum denique moles
 6 absolvas, summo templa dicata Deo.
 7 Sis bonus o felixque mihi. Tutela Camenae
 8 diceris merito praesidiumque meae.

AD NICOLAUM ODOUALLUM

L_81 v.1 Odualle, novem comes sororum,
 2 doctas pectore litteras benigno
 3 qui totus deamas, sinistra plane
 4 maestus sidera nunc vocare possum,
 5 quae te tam niveum mihi sodalem,
 6 quae te tam veterem intimumque amicum,
 7 fato non placido mihi abstulere,
 8 translatum ad rigidos quidem Brigantes,
 9 quo vix crediderim migrasse Musas.
 10 10 Nam Mavors ibi regnat, ac cruentos
 11 11 exercet gladios, premens subinde
 12 12 Scottos et valida manu Britannos.
 13 13 Quid Musis modo Marte cum furenti ?
 14 14 At si fata negant tuos penates
 15 15 ut dulces repetas, precor diserto
 16 16 te Septentrio barbarus patrono

17 linguis floreat undecumque doctis.

IN NAUMACHIAM A GULIELMO GUNTERO IN MARI GALLICO COMMISSAM

L_82 v.1 Fulmineo hostilem premeret cum Marte carinam
 2 Gunterus, tumido victor in orbe potens,
 3 occuluit pater Oceanus sua cana timore
 4 tempora, qua vitrei gurgitis ima latent,
 5 caeruleisque suum caput ocuis abdidit undis
 6 Neptunus, salsae rex stupefactus aquae.
 7 Qui ferrugineos alga praecingere crines
 8 assolet, attonitus Glaucus in antra ruit.
 9 Quique capistrati delphini curva Palaemon
 10 terga premit, scopulis condidit ora cavis.
 11 Nec minus horrisono Triton qui personat aere
 12 mersit praecipiti corpora vasta fuga.
 13 Omnes nam tonitru pavefacti, et fulmine multo
 14 tormentorum, animos vix habuere suos.
 15 Iratumque Jovem e caelo venisse putabant,
 16 ut fratrem e refluis pelleret ultor aquis.
 17 At cum deposito laetum paeana furore,
 18 victor Io ingeminans, concinuisset Io,
 19 et spoliis captis, hostili et nave refracta,
 20 magnanimum felix exhibuisset opus,
 21 aequoreus sensim princeps caput extulit undis,
 22 lumine collustrans spumea regna vago.
 23 Qui postquam chari cognoverat hospitis ora
 24 Gunteri, eminuit totus ab amne deus,
 25 conchisonumque suum ex undis Tritona vocavit,
 26 ut caneret forti proelia facta manu.
 27 Ille patris properans audita voce, marinis
 28 undis exiliit, classica bella canens.
 29 Tum virides toto vidisses aequore nymphas,
 30 Doridaque in numerum disposuisse pedes.
 31 Quarum et ad exemplar, tunc turba Britanna recurvo
 32 litore gaudebat ducere tota choros.
 33 Atque revertentem laetis complectitur ulnis
 34 victorem tantum praesidiumque maris.

AD IOANNEM BARRETUM IURISPERITUM

L_83 v.1 Sic tua Budaei divina volumina magni
 2 saepe manus verset, verset et Alceati.
 3 Sic tua sollicitos facundia rara clientes
 4 sublevet, et medio stet tua causa foro.
 5 Perlege quaeso meas, Barrete, epigrammata nugas,
 6 censorem quoniam te statuere suum.

GRATULATORIUM CARMEN AD EDWARDUM ODODUM EX ITALIA REDUCEM NOMINE COLLEGII APIUM

L_84 v.1 Cum rigidas albis traheret de montibus ornos
 2 cumque suis liquidos mulceret piscibus amnes
 3 incipe, Calliope, querulas attingere chordas.
 4 Nam mihi deliciis lux haec est tota dicata.
 5 Vos manibus, gratae Charites, colludite junctis
 6 ducite molliculas mecum atria laeta choreas.
 7 Talis honor, majorque meo debetur amico
 8 tristia qui rediens feliciter omnia pellit

9 laetitia has aedes solida perfundere natus.
 10 O mihi quam gelido fluxit de pectore sudor
 11 Ausoniam peteret cum irrevocabilis Odo !
 12 O mihi quod saliens ingentia gaudia pectus
 13 detinuere meus cum felix Odo rediret !
 14 Dispersa indomito ut subrepens frigore bruma
 15 aufert florigeram faciem vernantis agelli,
 16 frondes arboribus sensim nutantibus, atque
 17 graminibus posito fetu marcentibus ipsis,
 18 et ver purpureum rediens languentis agelli
 19 commutat sterilem vultum splendore decoro
 20 Arboribus pulchre foliisque virentibus amplis
 21 graminibusque novo crescentibus undique fetu.
 22 Sic mihi tristis hiems fugiens est semper, et Odo
 23 cuncta simul rapiens secum mea gaudia cuncta.
 24 Sic mihi dulce meus rediens ver semper et Odo.
 25 Ergo lanificae maneat vos cura sorores
 26 ducere de niveo Odoni nunc vellere fausta
 27 stamina, Nestoreos ut mecum vivat in annos
 28 barbariem spurcam tenero pulsurus ab ore
 29 nec me tunc vasti pars fortunatior ulla
 30 orbis erit, totus quantumvis clara virorum
 31 laudibus eximiis doctorum nomina cantet.

AD BRIENUM TUCCAM, EQUITEM

L_85 v.1 Magnus Alexander fertur praeclara poetis
 2 grandisonis larga dona dedisse manu.
 3 Sed nec Tucca tulit meus ulla minora, Philippos
 4 qui totidem, quot nos carmina laeta dedit.
 5 Pierides, tanto patrono assurgite vestro,
 6 aequat Alexandrum munere Tucca suo.

AD DIVAM QUIETEM

L_86 v.1 Salve, laeta Quies, venisti sidere fausto
 2 ut vatem invisas, dia serena, tuum ?
 3 Te rogo per Phoebum mihi dicas perque sorores,
 4 tam longae fuerit quae tibi causa morae.
 5 An te detinuit vates Hieronymus, an te
 6 Hessus, an Ursinus, Borboniusve meus ?
 7 Doctorum certe quisquis fuit ille virorum,
 8 felicem multis credo fuisse modis.
 9 Ergo velis mecum longos habitare per annos,
 10 et mea Musa tuum nomen ad astra feret.

AD ARTURIUM ARCIUM NOBILISSIMUM EQUITEM

L_87 v.1 Venit fama mihi frequens ad aures
 2 quae te magniloquo ore praedicabat
 3 doctrinae eximium politioris
 4 cultorem, obtigerat mihi priusquam
 5 tecum notitia ulla luculenta.
 6 Quam me confiteor bono meo amplo
 7 arci hic omnibus erudite veram
 8 invenisse modis. Memor serenae
 9 frontis, qua me ita candidus beasti
 10 vel tum cum domino tuo meoque

11 laeta porrigerem manu libellum,
 12 ut certe mihi visus inde fautor
 13 virtutis celeberrimus venustae.
 14 Quare nunc calamo tibi volucris
 15 nactus temporis otium quieti,
 16 has transmittere litteris parabam
 17 grates, ne beneficium putares
 18 ingrato immemorive contulisse.

AD MUSAS, UT MARIAM HENRICI OCTAVI FILIAM INVISANT

L_88 [DEEST]

AD MELLITUM

L_89 v.1 Dignus es hoc, dulci Melliti nomine, sic sunt
 2 quae scribis quovis mellea melle magis.

AD RODOLPHUM BOUREUM

L_90 v.1 Dum certas animo crescentem ornare poetam
 2 candidulo, nectens florida sarta mihi,
 3 munera pro tenui fortuna maxima praebes,
 4 ut doceas Musis quae tribuenda bonis.
 5 Talibus officiis ego motus, arundine sumpta
 6 imparibus cupio nectere verba sonis.
 7 Sed dare jam numeros paucos tibi, docte Rodolphe,
 8 est aquulam vastis fundere gurgitibus.

AD REGULUM

L_91 v.1 Cum tu muneribus doctos regaliter ornas,
 2 Regule, te dignum nomine facta probant.
 3 Quod si praestiteris talente, Regule, semper,
 4 tunc rex ter pleno nomine magnus eris.

IN EFFIGIEM NYMPHAE

L_92 v.1 Exercet digitos Veneta testudine nympha,
 2 puniceus radius cujus in ore nitet.
 3 Aurea et hanc gracilem commendat corpore vestis,
 4 ac lepidum cingens pluma superba caput.
 5 Cetera quid narrem? Narrabo pingere Apellis
 6 artifices talem vix potuisse manus.

AD RICHARDUM TOMIONEM

L_93 v.1 Aut me destituet Clarius Clariiue sorores,
 2 aut, Tomio, in nostro carmine primus eris.
 3 Nam quamvis solido multos complectar amore,
 4 pectoris ipse tamen maxima cura mei.
 5 Nota satis causa est (nec enim manifesta negabo),
 6 me quoniam summe diligis atque colis.
 7 O mihi si linguae centum sint, oraue centum,
 8 cresceret in laudes tunc mea Musa tuas.

9 Destituor, tenuis certe facundia nostra.
10 Quanta tamen quanta est, serviet illa tibi.

GRATULATIO IN REDITUM THOMAE LUPSETI

L_94 v.1 Venisti incolumis jam mihi reddite
2 Lupsete ? Et Venetum linquere floridos
3 vis campos, studiis mote Britannicis,
4 quae sic auxilium concupiunt tuum ?
5 Venisti ut veteres sospes amiculos
6 nunc tandem recolas ? O niveam mihi
7 lucem, quae potuit te modo reddere
8 optatum toties sollicita prece !
9 Haec festis radians frondibus est dies
10 et sertis mihi signanda recentibus.
11 Haec votiva dies, haec mihi calculo
12 ornanda est niveo, quae simul expulit
13 curas e tremulo pectore lugubres,
14 et te delictum reddit amabile.
15 Non certe lyrico lauriger ille erat
16 Flacco Virgilius gratior, Atticis
17 post longum rediens tempus ab intimis,
18 quam, Lupsete, mihi tu modo reddite,
19 quem longum cupiens cernere saepius
20 lassabam superos vocibus asperis.

POSTERITATIS AMOR DUBIUS

L_95 v.1 Posteritas amor mihi perblanditur, et ultro
2 promittit libris saecula multa meis.
3 At non tam facile est oculato imponere, nosco
4 quam non sim tali dignus honore frui.
5 Graecia magniloquos vates desiderat ipsa,
6 Roma suos etiam disperuisse dolet.
7 Exemplis cum sim claris edoctus ab istis,
8 qui sperem Musas vivere posse meas ?
9 Certe mi sat erit praesenti scribere saeclo,
10 auribus et patriae complacuisse meae.

AD CAROLUM BLONDUM, GUILIELMI BLONDI FILIUM

L_96 v.1 Parvum, candidule, en tibi libellum
2 dono, Carole, mittimus, quem Homero
3 magno Thespiadum sacer sororum
4 ut vero tribuit chorus parenti.
5 Tu munus specie licet pusillum
6 ne spernas tamen. Indicus lapillus
7 saepe est vel Pariis prior columnis.
8 Ne spernas Latiae lyrae moventem
9 Graecum stamina suaviora Homerum.
10 Nam Musa illecebras habet Latina,
11 quae saepe Aonios tenent poetas.

EPITHALAMIUM IOANNIS CLEMENTIS MEDICI, ET MARGARITAE

L_97 [DEEST]

IN STATUAM MAURI EQUITIS

L_98 v.1 Horrida candenti redimitus tempora vitta
 2 Maurus equi alipedis terga superba premit.
 3 Dextra contorquet librata missile telum,
 4 contrahit et laeva frena remittit equo.
 5 Scilicet hunc credas sinuoso currere passu,
 6 illum per tenues mittere tela plagas.

AD BRIENUM TUCCAM, EQUITEM

L_99 v.1 Tucca, tibi mitto chartacea munera vates,
 2 non est sors Musis amplior ulla meis.

AD ANDRAEAM SMYTHUM

L_100 v.1 Quid verbis referam jam tibi pluribus
 2 quam sit res gravis (ah) te sine vivere ?
 3 Cum quo saepe sui pectoris intima
 4 arcani solitus pandere, et ad lyram
 5 argutis resonam dulcia vocibus
 6 Felix assidue fingere carmina,
 7 cum quo sum solitus prata nitentia
 8 gemmis visere tam versicoloribus.
 9 Quod tantum nisi me pelleret invida
 10 per fluctus miserum sors male concitos,
 11 tecum perpetuo vivere molliter
 12 quam laetus poteram, meque beatulum
 13 te semper socio credere candido !
 14 Non auri studium vel sacer ambitus,
 15 non quicquid gremio fertilius solum
 16 producit solidam sic alio mihi
 17 mentem distraheret, quin tibi jungerem
 18 me totum facili. At nunc prohibet mea
 19 cum me sors miserum longius aspera
 20 te praesente frui, judico proximum
 21 crebris litterulis damna rependere.
 22 Sic praesens animus me comitem tibi
 23 absentem niveo junget amiculo.

LAUS ROSAE, A COMPARATIONE

L_101 v.1 Lentula coniferae quantum virburna cupressi
 2 vincunt, et salicem vincit oliva ferax,
 3 degeneres fructus, acida, et sylvestria poma,
 4 Punica et evincunt mala decore suo,
 5 quantum vere novo superat formosior hortus
 6 herbifera montes fertilitate rudes,
 7 tantum crediderim cunctos superare nitore
 8 flores puniceam (Cyprica dona) rosam.

AD BRIENUM TUCCAM

L_102 v.1 Tu mihi, tu fulvum magni das pignus amoris
 2 aurum, munifica, splendide Tucca, manu.
 3 En ego pauca tibi parca do carmina dextra,

4 sic me pro magnis parva dedisse putes.
 5 Quod mihi, Tucca, dabas nuper, jam fugit et aurum,
 6 tam bene non loculus quam capit ipse tenet.
 7 Sit fors fausta meae Musae, tua, candide Tuccae,
 8 aurea carminibus vicero dona meis.

AD IOANNEM CLERICUM, EPISCOPUM BADUNICUM

L_103 v.1 Clerice, facundos inter numerande patronos
 2 qui jus Caesareum et pontificale colunt,
 3 te mea Musa studet modulis laudare canoris,
 4 sit quamvis impar laudibus illa tuis.
 5 Sat scio Parrisios tua dicere facta solere,
 6 et tua Romano gloria nota foro.
 7 Nec te sanctarum studiosa Bononia legum
 8 desinit emeritis irradiare notis.
 9 Quid referam, quibus ipse modis utramque Minervam
 10 exornes ? Doctos qua ratione viros ?
 11 Pontifices claros Badunum reddidit olim,
 12 urbem nunc claram clarior ipse facis.
 13 Diligat illa suum pastorem, pastor et urbem,
 14 ingenii dotes ut mea Musa tui.

AD R. CRAIFORDUM

L_104 v.1 Dum me Sequanicus chorus benigne,
 2 Craiforde, illecebris tenet quibusdam
 3 linguarum et solidae eruditionis,
 4 tu vel totus obambulas beatus
 5 aulae inter celebres viros Britanniae,
 6 et vultu frueris sereniori
 7 ter felix domini tui meique.
 8 Quam non ipse tamen tibi secundam
 9 Fortunam invideo. Mihi vicissim
 10 nunc in re tenui artium bonarum
 11 non plane tenues macrosve fructus
 12 contingat modo strenue parare,
 13 antiquam ac nitidam eloquentiamque
 14 instaurare, meo favente Phoebo.

AD CYGNUM DE THOMA LINACRO

L_105 v.1 Te saepe audivi quaerentem Graeca Latine
 2 cuius adoptaret Pieris ore loqui.
 3 Certior ut fieres super hac re, nuper adibam
 4 plectigerum Phoebum Thespiadasque deas.
 5 Ipse mihi Phoebus Linacrum, Linacrumque sorores,
 6 totaque Castalii turba diserta chori.
 7 Dixerunt uno consensu verba Latina
 8 esse illum vellent cuius in ore loqui.

LAUS BORBONII VANDOPERANI

L_106 v.1 Gallia Borbonium celebrat facunda poetam,
 2 cuius nectareum spirat ab ore melos.
 3 Non sum Borbonio par versibus, attamen olim
 4 cantabit Musas terra Britanna meas.

SOLESEQUIUM

L_107 v.1 Surgeret Eoo nitidus cum Phoebus ab orbe,
 2 surrexi, vultus exseruique meos.
 3 Occiduas sed cum fessus pertingeret undas,
 4 velavi rutilis ora venusta comis.
 5 Solus amatores inter mihi perplacet omnes
 6 Phoebus, io caeli, delictumque soli.
 7 Hinc ego demonstror digito formosa per hortos,
 8 nomine vulgari solsequiumque vocor.

AD MUSAS, UT HENRICUM OCTAVUM CONCELEBRENT

L_108 v.1 Musae, dicite io, et io nunc dicite, Musae,
 2 tempora Paestanis cingite festa rosis.
 3 Totius Henricus rex illustrissimus orbis,
 4 pectore ter niveo nos colit, ornat, amat.
 5 Nunc licet o tali, tanto sub principe nobis
 6 lumina Sequanicae visere pulchra scholae.
 7 Nunc licet Italiam nobis lustrare disertam,
 8 condire et Graeco verba Latina sale.
 9 Quae vestro dabitur regi, vestroque patrono,
 10 dicite, pro tali pectore dona mihi ?
 11 Quae, nisi dulciflui notissima munera vatis,
 12 munera per longos non moritura dies ?

IN LIBRUM THOMAE LINACRI

L_109 v.1 Non Palamedeis opus impallescere chartis,
 2 nec Diomedeis invigilare libris.
 3 Talia nam peperit Linacer monumenta politus,
 4 longa dies rerum qualia nulla dedit.
 5 Hoc facile evincam sub quovis iudice recto,
 6 dulcia praeripuit praemia grammaticis.
 7 Quicquid ab antiquis selegit et ipse Latinis
 8 seu Graecis, recitat fertilitate sua.
 9 Illeque cornicum tentabit figere ocellis,
 10 aedere qui tentat scripta polita magis.

ALIUD CARMEN DE EODEM LIBRO

L_110 v.1 Virgineam docti juvenes celebrare catervam
 2 quod juvat, aut nitidas Bellerophontis aquas ?
 3 Quidve Heliconae sacrum juvat aut Permessidos amnes ?
 4 Laurigero Cyrrhae quid loca festa deo ?
 5 Huc potius laetis concurrere passibus omnes,
 6 fingite victuris ora tenella libris.
 7 Somnia Parnassi valeant, Boeoticaque arva.
 8 Nunc Linacer nobis omnibus unus erit.

AD RICHARDUM GUNTHERUM

L_111 v.1 Purpurei ambrosios veris nova semina flores
 2 tu mihi decerpens munera grata paras.
 3 Saepius hoc cures, quo certe nomine multo

4 ingenium invenies mitius esse meum.

AD CALLIOPEN, DE IOANNE CLAIMUNDO

L_112 v.1 Te nunc, Calliope, colit politus
 2 Claimundus facilis, novem Sororum
 3 cui fert tot niveos chorus lapillos.
 4 Exornat quoque te frequenter ille
 5 largo munere et ore perbenigno.
 6 Quare, Calliope, lyra resumpta
 7 cures officium tuum vicissim,
 8 nomen Castalii ferens ad astra
 9 Claimundi aurea laudibus canoris.

AD RICHARDUM HIRTIUM

L_113 v.1 Lumen Castalii chori serenum,
 2 hirti, qui decoras tuo Britannos
 3 doctos ingenio illo amoeniori.
 4 Currenti calamo jubet notatos
 5 hos me jam numeros Camena dulcis
 6 ad te mittere, cujus os replerunt
 7 Hyblaeae ambrosio cibo volucres.
 8 Nam cum nectareis Latina verba
 9 e labris fluitant tuis renata,
 10 tum plane videor mihi videre
 11 facundi Ciceronis illa saecla.
 12 Et cum mellifluos modos poeta
 13 felix aggredieris favente Musa
 14 bella scribere, tum meas fluenti
 15 vena has auriculas styloque mulces.
 16 Plures dicere nunc, Camena, versus
 17 noli, nam dabis Hirtio canenti
 18 nostro carmina, ut undulam tumentis
 19 infusam pelago, et minuta ligna
 20 densis robore saltibus vetusto.

IN PICTAM OCCASIONIS EFFIGIEM

L_114 v.1 Quisquis in argutis tabulis te, occasio, pinxit,
 2 seu notus Coae gentis alumnus erat,
 3 seu multum toto cantatus Zeuxis in orbe,
 4 naturam penitus sentiit ille tuam.
 5 Namque dedit fronti molles gestare capillos,
 6 occipiti prorsus crine vacante tuo.
 7 Fortunam arripiant praesentem : occasio frontem
 8 avertens, iterum non capienda, fugit.

COLLATIO BUDAEI ET CUTHOBERTI DUNOSTALLI

L_115 v.1 Qua te nostra canet, Dunstalle, Britannia laude ?
 2 An qua Budaem Gallia docta suum ?
 3 Candidus ille studet Graecam celebrare Minervam,
 4 Graecorum celebras tu monumenta patrum.
 5 Ille colit veteres intento pectore leges,
 6 sunt studii leges cura diserta tui.
 7 Ille rudes assis docuit cognoscere partes,

8 tu numeros primus verba Latina loqui.
 9 Gallia, causidicum tecum dignare Britannum
 10 conferri, niveis dignus uterque notis.

IN MORTEM HIPPOLYTI CRUDELISSIME INTERFECTI

L_116 v.1 Hippolytus quondam succinctae cura Dianae
 2 occidit, a saevis dilaceratus equis.
 3 Noster at Hippolytus periit (quid non furor audet ?)
 4 transfossus gladio pectora tincta fero.
 5 Integer ille fuit liquidas revocatus in auras
 6 numine felici, Delia casta, tuo.
 7 Hic melioris erat vitae revocatus in auras,
 8 mortis et autorem poena secuta fuit.
 9 Nam misere periit serpentis fulmine diro,
 10 spectat sanguineos exitus iste viros.
 11 Parcite, mortales, scelerato parcite ferro,
 12 tangunt ultores impia facta deos.

CXVII. DE ZEPHYRO ET CYGNO

L_117 v.1 Miratur Zephyrus meus canori
 2 cygni mellifluum silere carmen ?
 3 Aspiret Zephyrus, modis canora
 4 cygnus dulcisonis resolvat ora.

AD SEQUANAM FLUVIUM

L_118 v.1 Sequana, vitiferis crinem redimite corollis,
 2 Gallica qui vitreo gurgite prata rigas.
 3 Tu nostro praestas solamen dulce labori,
 4 et tetricum misces lusibus usque sophos.
 5 Namque tuis ripis cum lentis passibus erro,
 6 Flora quidem nares pascit odora meas,
 7 atque oculos eadem pictarum lumine rerum
 8 detinet insignis, vel sine fine, dea.
 9 Nominis illa tui cultrix, vicinaque felix
 10 hospitibusque tuis officiosa favet.
 11 Tu quoque, cum salicis requiesco fessus in umbra,
 12 perstrepis arguto murmure, "Somne, veni".
 13 Audiit haec Zephyrus genialis, flatque secundo
 14 intentus strepitu, ventilat atque salax.
 15 Insuper illimi natito cum flumine nudus,
 16 lympha tua est votis candida tota meis.
 17 Fac mihi, fac semper te talem, Sequana, praestes,
 18 et recinet numen Musa Britanna tuum.

AD GRANTANAM ACADEMIAM, UT IOANNEM REDMANUM CELEBRET

L_119 v.1 Si vis te facilem mihi nunc te ostendere, Granta,
 2 et vatem officio demeruisse pium,
 3 quae peto justa, mea praestabis candida causa,
 4 ni causa mavis gratior esse tua.
 5 Nominis en tuus est nostri studiosus alumnus
 6 Redmannus, lingua doctus utraque probe.
 7 Hunc famae studeo modo consecrare perenni,
 8 sed mea vix poterit Musula tanta dare.

9 Tu bene magna potes praestare, solesque disertis
 10 discipulis semper grata favere tuis.
 11 Ergo bonas quoniam puris e fontibus hausit
 12 artes, Cecropii quot docuere patres,
 13 effice fama mei Redmanni ut floreat, utque
 14 Lethaeas nunquam mortua gustet aquas.

IN FRONTISPICIO LIBELLI

L_120 v.1 Intra laurigeros liber penates
 2 Henrici modo principis sereni
 3 intra, et pellito rusticum pudorem.
 4 Te rex accipiet manu benigna,
 5 notus Pegasidum comes, canentisque
 6 argutus Clarii piusque cultor.

AD THOMAM VIATUM, EQUITEM CLARISSIMUM

L_121 v.1 Dudlegus patrias suum hinc in oras
 2 ornaturus iter monebat ut te
 3 et notum et veterem mihi sodalem
 4 impertirem aliqua memor salute.
 5 Feci quod voluit, lubensque certe.
 6 Illum nam studiis tuis sciebam
 7 vinclis mirifici quibusdam amoris
 8 conjunctum, ac etiam addo litterarum
 9 fautorem et niveum quidem mearum.
 10 Tu nunc fac animum rogo, Viate,
 11 nostrum, non Veneres styli fluentis
 12 expendas proprius nitentiores,
 13 quas sic Castaliae tibi puellae
 14 consensu facili simul dederunt
 15 ut vel montibus Aoniis in ipsis
 16 te natum chorus aestimet virorum
 17 doctorum niveus fuisse plane.
 18 Tu nunc officium vides amici
 19 quaecumque tui, proba et valet.

AD BRIENNUM TUCCAM EQUITEM

L_122 v.1 Mos erat antiquis Jani celebrare Calendas
 2 strenis, quem ritum saecula nostra probant.
 3 Hinc est quod mittam munus, [mi] splendide Tucce,
 4 officii ut videar commeminisse mei.
 5 Quod tibi dant alii gemmas sat scimus, et aurum,
 6 convenit ut magnis mittere magna viris.
 7 Pauca ego, at illa libens, antiqua numismata mitto,
 8 exiguae sortis munera parva meae.
 9 Ille tamen qui quanta potest dat, maxima certe
 10 non auro aut gemmis inferiora dedit.

AD IANUM LASCARIM

L_123 v.1 Nostrorum unice temporum polite
 2 Phoenix, Lascari, qui tuis Athenas
 3 Musis Cecropias nitere totum
 4 Phoebi iudicio facis per orbem,

5 jam longum mea gestiit Camena
 6 longum intrare aliqua tuos penates,
 7 et praesens oculis suis videre
 8 praesentes numero novem sorores
 9 cum cantato Helicone, cumque festis
 10 Parnassi Clario jugis favente.
 11 Quae tu si nivea benignitate
 12 commonstraveris, illa se putabit
 13 multis et merito modis beatam.

AD GUILIELMUM GUNTHERUM

L_124 v.1 Horrida praesignis victor, Gunthere, solebas
 2 bella sequi, et magnos ense ferire duces.
 3 Post domitos Turcas, post Gallica proelia, tandem
 4 te post naumachiam nunc habet alma quies.
 5 Fixisti galeam cristatam vertice plumis,
 6 emeritus postem miles ad Herculeum.
 7 Pro niveis tantum castris, pro puppibus altis,
 8 conjugue cum cara civica tecta colis.
 9 Spirat Apellea quorum penetralibus arte
 10 principis Henrici lucida imago tui.

LAUS GRANTANAE ACADEMIAE

L_125 v.1 Adsis docta parens studiorum, Granta, meorum,
 2 dum celebrat laudes nostra Thalia tuas.
 3 Quondam florebat sermone Britannia Graeco,
 4 et potuit pure verba Latina loqui.
 5 Barbara Pictorum rabies Scottique maligni
 6 bellis eloquii praeripuere decus.
 7 Compressere tamen Pictos Scottosque minaces
 8 Horsus et Hengistus nobilitate pares.
 9 Saxonici generis stipati milite duro
 10 solum illi Martem percoluere ducem.
 11 Paganismus adest, doctas contemnit et artes.
 12 Gothica progenies horrida bella sonat.
 13 Aurea sed tandem redierunt saecula, Christum
 14 Saxones agnoscunt praesidiumque ratum.
 15 [Hincque] bonae repetunt omnes felic[iter] artes
 16 antiquas sedes non sine laude suas.
 17 Augustinus erat facti quoque signifer almus
 18 inter et illustres post Theodorus erat
 19 Graecus et ille quidem Romana missus ab urbe
 20 qui comes Adrianus religionis apex.
 21 Saxones his doctis tunc praeceptoribus usi
 22 eloquii fontes excoluere sacros.
 23 Sigbertus regum decus immortale piorum
 24 praefuit Ostanolis instituitque schola
 25 quales ante exul Gallorum in finibus ipse
 26 intentus studiis senserat esse bonas.
 27 Adfuit et Felix quidam Burgundio doctus
 28 dimidiumque animae principis ille fuit.
 29 Hi statuere bonis sua praemia et artibus ampli
 30 quo juxta veterem stat nova Granta loco,
 31 enituit linguis celeberrima Granta disertis,
 32 patronosque lubens extulit astra super.
 33 Floruit hinc multis annis virtutibus aucta,
 34 et famae pretium rettulit omne suae.

35 Barbarus invidit Dacus virtutibus illis
 36 cum quo pugnandum nocte dieque fuit.
 37 Tempore quae longo clades sic percudit Anglos
 38 gloria ut eloquii pressa jaceret humi.
 39 Posterior pacem quae secum protulit aetas
 40 vana sophistarum quid nisi turba fuit ?
 41 At tu barbariem regni miserata Britannii
 42 restituisti avibus Pallada utramque bonis.
 43 Vos igitur, Musae, Charites [et] Suada, Leposque
 44 concinite haec laetis carmina laeta sonis.
 45 Salve linguarum reparatrix Granta venusta,
 46 eximium cujus scandit ad alta decus.
 47 Nominis illa tui marcebit gloria nunquam,
 48 purpureas vernans dum feret hortus opes.

AD S. GARDINERUM

L_126 v.1 Argutos resonae modos Camenae,
 2 Gardinere, tibi meae dicatos
 3 facunde accipe dextera benigna,
 4 certat quandoquidem nitentiores
 5 virtutes animi tui probare
 6 paucis hendecasyllabis libenter.
 7 Tu certe innumeris locis ad illum
 8 leges vel veterem labore grato
 9 splendorem revocas, docens vieta
 10 tot glossemata (opus recentiorum
 11 scriptorum) ingeniis bonis obesse.
 12 Hinc monstras Cicero ut parens Latini
 13 sermonis veterum recepta jura
 14 orando insinuet polita lingua et
 15 ut causas placide statim serenet.
 16 Tu Plauti quoque fabulas poetae
 17 antiqui lepidas quidem et venustas
 18 illas, conspicuo decore quodam
 19 felix actor et eloquens, vel usque
 20 ad miracula, nunc suis theatris
 21 pulchre restituis, nitesque facto.
 22 Miles lumina Gloriosus ille
 23 sic certe mea capta detinebat,
 24 ut dum vixero, semper actionem
 25 illam vel memori sinu recondam.
 26 Partes praestitit Haucuinus amplas,
 27 Achinus quoque tunc suae decorum
 28 personae exhibuit, sed unus ille
 29 Fabrilegus erat puellus, instar
 30 multorum lepidus, venustus, ardens,
 31 cujus gloria crescet undecumque.
 32 Tu nunc denique juris utriusque
 33 consultissimus hoc agis, prius quod
 34 (quantum intelligo) praestitere nulli.
 35 Nempe ut causidicus sacrae patronus
 36 interpres vigeat scholae beatus,
 37 instrumenti etiam vetustioris
 38 et mysteria magna dehinc novelli
 39 tractet iudicio valens secundo.
 40 Haec Fortuna videns manu expedita
 41 famae ducet ovans gradus te ad altos,
 42 perducetque, tuum caput decenter
 43 donec praeniteat mitra bicorni.

AD LEONARDUM COXUM

L_127 v.1 Inclita Sarmaticae Cracovia gloria gentis,
 2 virtutes novit, Coxe diserte, tuas.
 3 Novit et eloquii phoenix utriusque Melanchthon,
 4 quam te Phoebus amet, Pieriusque chorus.
 5 Praga tuas cecinit, cecinitque Lutetia laudes,
 6 urbs erga doctos officiosa viros.
 7 Talia cum constent, genitrix tua propria debet
 8 Anglia te simili concelebrare modo.
 9 Et faciet. Nam me cantantem nuper adorta
 10 hoc ipsum jussit significare tibi.

AD ROSETUM GALLUM POETAM

L_128 v.1 Clarum Threicii, Rosete, vatis,
 2 plectrum cui faciles dedere Musae,
 3 quod saepe Armenias tigres sonoro
 4 mulcet carmine, montibusque quercus
 5 deducit rigidas, et alta (mirum)
 6 sistit flumina, paululum Camenas
 7 ponas quaeso tuas severiores,
 8 atque adsis tenues modos canenti
 9 Lelando, solita serenitate
 10 frontis. Sic titulos tuos sonabit
 11 posthac grandiloquis tubis, secreta
 12 ruptus viscera Delphico furore.

AD PHILIPPUM

L_129 v.1 Terga premis Scythici quoties violenta caballi,
 2 nomina de factis vera, Philippe, probas.

ANTONIUM BARKERUM

L_130 v.1 Antoni, veteres qui nostros inter amicos
 2 jure tuo loca non inferiora tenes,
 3 si potes a studiis tetricae cessare Minervae,
 4 paululum ad has nugas lumina flecte meas.
 5 Non facile hic credas quantum, Barkere polite,
 6 iudicio tribuat nostra Thalia tuo.
 7 Ergo adsis, chartas parvi et transcurrere libelli,
 8 qui Musae servat pignora chara meae.

AD BOURBONIUM VANDOPERANUM

L_131 v.1 Vandoperane, mei censor tu carminis esto,
 2 quam vellem Nugis proximus esse tuis.

FILIAE THOMAE MORI, CHARITAEA CORONA

L_132 v.1 Tres numero Charites Graeci finxere poetae,
 2 aemula quas toties carmine Roma sonat.
 3 Hactenus at numquam res est haec credita vera,

4 ut neque de Musis fabula vana novem.
 5 Nos tamen intrantes facundi limina Mori
 6 attoniti Charites tres novitate rei
 7 vidimus. Et quid enim est oculis (rogo) certius ? Ergo
 8 accipiat plenam fabula prisca fidem.

AD SERENISSIMAM MARIAM, REGIS FILIAM

L_133 v.1 Clarum virgineae decus cohortis,
 2 quae nubes patriae tenebricosas
 3 virtutis facibus tuae serenas,
 4 en tectos Senecae nitenti in horto
 5 flores attulimus, suaviores,
 6 quam quos purpurei ferunt roseta
 7 Paesti. Nam hi perituro odore paucas
 8 post horas bifores foveant latebras
 9 nasi. Illi autem animi sacros recessus
 10 quam longum ambrosio foveant odore.

AD NICOLAUM VILSONUM

L_134 v.1 Iratas habeam novem sorores
 2 cum toto Clarii choro canente,
 3 si quicquam acciderit mihi petenti
 4 gratum litterulis magis venustis,
 5 quas nuper mihi reddidit disertus
 6 Lupsetus, solidum Britannicarum
 7 Musarum decus, addita tuo vel
 8 multa nomine candido salute.
 9 Unde esse officium meum putavi
 10 ad te scribere litteras vicissim,
 11 et candorem animi parem referre,
 12 non autem similem styli nitorem.
 13 Nam hoc praestare quibus modis, rogo te,
 14 possim, pene reliqueris locum tu
 15 cum nullum Veneri elegantiori ?
 16 Sed tandem quid ego haec tibi modesto,
 17 qui praeconia negligis faventis
 18 linguae ? Rectius obsecrem, erudite
 19 Vilsoni, ut veteri colas amore
 20 me, qui suspicio tui nitentes
 21 virtutes animi, perenne lumen,
 22 ut cum occasio fulserit serena,
 23 commendes domino tuo meoque.

AD AMBROSIUM

L_135 v.1 Convenit Ambrosii pulchre tibi nomen amoenum.
 2 Moribus es dulci dulcior ambrosia.

AD RICHARDUM HIRTIUM

L_136 v.1 Hirte, caeruleis multum cantate Britannis
 2 Atticus e terso cui fluit ore lepos.
 3 Fac nunc fac tandem contendas aequora fausta
 4 vitrea qua Thetis ipsa Oceanusque regunt.
 5 Quis precor est nostro mihi dicas splendor in orbe

6 qui teneat tantis lumina capta moris ?
 7 Huc ades, hic placido sinuosus Sequana cursu
 8 defluit, hospitibus gratus et ipse suis.
 9 Hic ver perpetuum latis dominatur in agris,
 10 Flora hic purpureo munere vestit humum.
 11 Hic Surrhetinis una est generosior uvis,
 12 hic et Amalthea cornua plena caprae
 13 nec minus hic florent picta textoria linguae
 14 seu Latio aut Graeco te juvet ore loqui.
 15 Lascaris hic fulget doctis qui natus Athenis
 16 Cecropio miscet verba Latina favo.
 17 Prima suae nitet hic Budaeus gloria gentis
 18 Aemilius patriae et maxima fama suae.
 19 Si te nil moveat tantorum cura virorum
 20 ut curva tentes aequora salsa trabe,
 21 barbarus et moveat, moveat Lelandus, uterque
 22 cognitus, et studiis junctus uterque tuis.

INSTAURATIO BRITANNICAE ANTIQUITATIS

L_137 v.1 Quantum Rhenano debet Germania docto,
 2 tantum debebit terra Britanna mihi.
 3 Ille suae gentis ritus et nomina prisca
 4 aestivo fecit lucidiora die.
 5 Ipse antiquarum rerum quoque magnus amator
 6 ornabo patriae lumina clara meae.
 7 Quae cum prodierint niveis inscripta tabellis,
 8 testes tum nostrae sedulitatis erunt.

AD FRANCISCUM SYLVIUM GALLUM

L_138 v.1 Sylvi, fama scholae Lutetianae
 2 recte cognita, qui suo Latinam
 3 linguam restituis potens nitori
 4 clarum Tullium et illius parentem
 5 tantum discipulis tuis reducis,
 6 olim quantus erat suum Milonem
 7 cum defenderet optimus patronus,
 8 Paulum fac positis nimis severis
 9 libris carmina nunc tibi dicata
 10 Lelandi accipias, legasque vultu
 11 illo inquam penitus remissiori
 12 quo vel perpetuum soles nitere.
 13 Sic dotes animi tui perennes
 14 et laudem eximiam eruditionis
 15 a Gallis bene transferet Britannos
 16 ad flavos mea cura nunc Thalia.

AD GULIELMUM VELDENUM

L_139 v.1 Perge libros Vallae docti versare politos
 2 promittunt fruges semina laeta bonas.
 3 Nam mihi iudicii si quid tribuere sorores,
 4 plectigeri et si quid numina magna dei,
 5 in toto Latio nihil est felicius illis,
 6 grammaticus certe maximus ille fuit.
 7 O utinam facunde mihi Veldene liceret
 8 hoc studio lateri semper adesse tuo !

9 Distrahor ast alias blandae per verba Camenae
10 quae me hominem juris vix sinit esse mei
11 tu tamen insistas. Tales, Gulielme, labores
12 sera licet veniant, praemia digna manent.

IN EFFIGIEM DESIDERII E.

L_140 v.1 Est mira effigies haec immortalis Erasmi
2 cui debet Musas Teutona terra bonas.
3 Holbenus pictor, quo non illustrior alter,
4 exhibuit rarae sedulitatis opus.

AD DROGONEM

L_141 v.1 Inclyta Cecropia citharae laus, candide Drogo,
2 Ausoniae illustris gloria, Drogo, lyrae,
3 limen amicitiae rudibus quod versibus intrem
4 ignotus, niveo pectore quaeso feras.
5 Sic in Apollinea niteas clarissimus arte,
6 et duce te Latia veste Galenus ovet,
7 sic in Parthenio spatieris vertice longum
8 atque tuum decorent splendida sarta caput.

IN EFFIGIEM FRANCISCI TAXI ITALI

L_142 v.1 Tucca, tibi praesens Franciscus candidus ille
2 taxus amicitiae nomine junctus erat.
3 Nunc absens etiam tibi pro candore sueto
4 taxus amicitiae nomine junctus erit.
5 Nunc colit ille tuos solito de more penates
6 totus Apellea redditor arte tibi.
7 Dii nos sinceri bene consuluistis amori
8 dum retinet mentes una tabella duas.

AD MUSAM, DE HENRICO VIII REGE ANGLIAE

L_143 v.1 Si tu post cineres meos secundo
2 fato vixeris, inter et Latinas
3 Musas si poteris locum tenere,
4 fac ut praesidium tuum meumque,
5 fac ut dulce decus tuum meumque
6 Henricum, patriae patrem supremum,
7 doctorum resonet chorus disertus.

AD CAROLUM BLONDUM, IUVENEM NOBILEM

L_144 v.1 Tempus nostra suum Camena nacta
2 fusum mollibus otiis amico
3 me tali alloquitur sono decora,
4 "Plenas aggredere inclyti puelli
5 laudes carmine Caroli insonare.
6 Namque is Gorgoneos colit beato
7 torrentes studio, comes sororum
8 doctarum solitus, leves choreas
9 cum alti in vertice germinante ducunt
10 Parnassi, sua floreis revinctae

11 sertis tempora more perdecete.
 12 Pro quo nunc studio novem puellae
 13 apta haec munera Blondulo puello
 14 consensu unanimi quidem dedere,
 15 linguae perpetuum Atticae leporem,
 16 linguae et delicias meras Latinae.
 17 Parendum monitis Camenae honestis,
 18 bis pulchrum reputo tuam Minervam
 19 insignem numeris meis probare."

AD ROGERUM ASCHAMUM

L_145 v.1 Aschame, litterulas tam belle pingis ut ipsa
 2 Graecia te scribam pervelit esse suum,
 3 ut velit esse suum rerum caput, inclyta Roma,
 4 quamvis Italicos scribere docta modos.
 5 Sed calamos cur certo tuos attollere vates
 6 carmine, sit virtus cum tua nota satis ?

AD ROBERTUM SEVERUM

L_146 v.1 Dum tu declamas Grantae, versasque beatus
 2 Ausoniae facili tot monumenta manu,
 3 Graecorumque omnem lustras studiosior orbem,
 4 Bellerophonteis fontibus ora rigans,
 5 ipse tuus, vetus ipse tuus Lelandus amicus,
 6 fato felici Gallica regna colo.
 7 Hic tibi si curae est quid agam cognoscere, tandem
 8 accipe, sed breviter facta relata mihi.
 9 Condo et compono quae mox depromere possim,
 10 ut resono Flacci carmine Musa canat.
 11 Praeterea veterum multa exemplaria quaero,
 12 exploro, crassis eruo et e tenebris.
 13 Ecce vides nostrae rationem (et certius) omnem
 14 vitae hic transactae. Docte Severe, vale.

AD CYGNUM

L_147 v.1 Miraris niveas cur mittam, cygne, columbas
 2 pro meritis in me munera parva tuis ?
 3 Non ut magna parem, sed convenientia pulchre
 4 cura in consiliis altius una sedet.
 5 Primum igitur visum fuit explorare columbas,
 6 namque columbina simplicitate nites.
 7 Inde etiam niveas o quam bene convenit illud,
 8 nam tu candoris nomina prima refers.
 9 Desine mirari cur mittam, cygne, columbas.
 10 Munera conveniunt moribus illa tuis.

AD VALERIUM MARTIALEM

L_148 v.1 Egregii vates scripsere epigrammata multi,
 2 quae canit in toto doctior orbe chorus.
 3 Iudicio nostro sed vivum solus acumen
 4 vates tu semper, Bilbilitane, refers.
 5 Materiam Morus si pertractasset eandem,
 6 certasset Musis aemula Musa tuis.

7 Ille quidem tantum voluit, parvoque labore,
 8 monstrare ingenii lucida signa sui,
 9 tu vastum pelagus penetrasti. Divide laudes,
 10 gloria sic famae crescet utrique sua.

AD DESIDERIUM ERASMUM ROTERODAMUM

L_149 v.1 Si vis Castalio choro placere,
 2 i nunc, i mea sed gradu citato,
 3 dulcis Pieri, gentis ad nitentes
 4 agros Helveticae, recurvus undis
 5 qua Rhenus tumidis volat per arces
 6 defluxu Basilaeias amoeno.
 7 Illic invenies disertum Erasmum,
 8 insigne eloquii decus Latini,
 9 pulsantem querulo lyrae canoros
 10 nervos pollice, subtimentibus cum
 11 Musis, tum Clario inclytos honores
 12 ne mons verticibus sacer duobus
 13 perdat, ne titulos suos Cytheron,
 14 et dent Teutonico locum poetae.
 15 Cui si, Pieri, plurimam salutem
 16 nostro nomine dixeris, statim ulnis
 17 te amplexabitur obviis benignus.

AD MUSAS DE GUILIELMO BLONDO BARONE MONTIOIO

L_150 v.1 Musae, si domino placere vestro
 2 et rem ter facere hic quaterque gratam
 3 laeto pectore concupiscitis, nunc
 4 tandem ostendite vos meo obsequentes
 5 Blondo, qui patriae eruditionem
 6 felix asseruit politioem,
 7 dum totus studiis dicatus ipse
 8 et virtutis amator eminentis,
 9 exempli specimen tulit perenne.
 10 Maecenatis erat loco probati,
 11 cujus sedulo gloriam secutus
 12 doctos muneribus beavit omnes
 13 amplis, atque scholae Lutetianae
 14 cultor conspicuus, frequens, disertus.
 15 Imprimis sibi comparavit illum
 16 torrentem eloquii, sodalem Erasmum.
 17 Crevit fructus et inde luculentus,
 18 ac Desiderius novis adauctus
 19 (Blondo munifico favente) amicis
 20 ditescit. Niveus patronus unde
 21 commendatus ad astra celsa scandit,
 22 et facti pretium accipit supremum,
 23 quod nunquam morietur, enitebunt
 24 dum libri radiis suis politi.

IN LAUDEM AETITIS

L_151 v.1 Saepe sub exiguo virtus latet alta lapillo,
 2 iudicio aetites omnibus esse potest.
 3 Ipse aderam in mediis paritura doloribus, eheu,
 4 cum clamaret, "Opem fer, dea casta, mihi."

5 Cujus sollicita tacitus pietate maritus,
 6 ventriculo aetitem admovet ille manu.
 7 Vix lapis attigerat gremium, mox vagiit infans,
 8 exiliitque, ferens parvulus ora patris.
 9 O qualis rector, subjectos numine magno
 10 qui lapides nostris usibus esse jubet !

AD IOANNEM CHAEREDAMUM

L_152 v.1 Multum magnificis diserte verbis
 2 passim, Chaeredame, et lubenter effers
 3 Lelandi tenues tui Camenas,
 4 qui nunc aggreditur tuas vicissim,
 5 spirantes tragicum oppido cothurnum,
 6 impar ter gracili sonare avena.
 7 Forsan surgere ad altiora posthac
 8 arguto poterit favente Phoebo,
 9 et claram aequoreis tuam Britannis
 10 famam Maeonia tuba referre.

IN FRONTISPICIO AULI MACRI SERENI

L_153 v.1 Docta salutiferi producere carmina Marci
 2 in studium placuit, lector amice, tuum.
 3 Delituere nigris tenebris ut tempore longo
 4 squallida non meritis corpora sparsa notis
 5 quae bene collatis nunc exemplaribus omnem
 6 reddita splendori deposuere situm.
 7 Si tersis Musis nostri tribuere labores
 8 commoda, quod cupimus, candide lector, ova.

AD NICOLAUM BEROALDUM GALLUM

L_154 v.1 Aethereae castos cecinisti virginis orbes
 2 carmine quo nullum doctius esse potest.
 3 Artificemne magis structuram mirer in illo
 4 nescio an appositis verba Latina locis,
 5 ut sileam quo nunc pleno fluit aurea rivo
 6 vena ferens linguae splendidioris opes
 7 et quibus illecebris scatet ad miracula mixtus
 8 matura facilis cum gravitate stylus.
 9 Macte isto semper successu, docte Beroalde,
 10 fiet et ex hedera festa corona tibi.

IN CAPUT D. IOANNIS BAPTISTAE AB ANTONIO SOLARIANO PICTUM

L_155 v.1 Inter pictores felix Antonius ille,
 2 aequoreis Venetis cognita fama fuit.
 3 Pinxit vulnifico succisum funere divi
 4 Joannis tanta dexteritate caput,
 5 viveret ut si nunc toties laudatus Apelles,
 6 pingendi irata frangeret arma manu.

AD GUINTERIUM ANDRUACUM

L_156 v.1 Grata caeli temperies sereni

2 candidum vultum roseis racemis
 3 picta, telluris solidum virentis
 4 aspicit orbem.
 5 Torridos aestus rabidi leonis
 6 cujus in vasto volat orbe Titan
 7 mitigat late placidi Favoni
 8 lenior aura.
 9 Ergo age alternis vicibus canora
 10 Lesbiae jam fila lyrae incitemus.
 11 Italas alterna ferunt amare
 12 carmina Musas.
 13 Sive tu incertis cupias sub umbris
 14 impari cantu meminisse amorum,
 15 sive per ripas ubi ludit alto
 16 flumine Naias.
 17 Novimus sylvam, properes, opacam
 18 saepe qua ducunt Dryades choreas,
 19 et quibus ripis soleat lavare
 20 vitrea Naias.

HORTI GUILIELMI GUNTHERI HYEME VERNANTES

L_157 v.1 Nunc biferi sileant laudare rosaria Paesti,
 2 hortos nec jactet regia Roma suos.
 3 Vidimus aequoreis hortum florere Britannis,
 4 cum premeret gelido frigore Janus agros.
 5 Purpureas violas, ferrugineumque hyacinthum,
 6 luteolam caltham, Cecropiumque thymum.
 7 Hinc Clyties florem mutatae vidimus alnum,
 8 et Paphiae suaves, dona venusta, rosas,
 9 atque alios, quorum mihi dicere nomina longum.
 10 Vivite fecundi jugera picta soli.

IN BORBONI LAUDEM

L_158 v.1 Est mihi Borbonius merito decorandus honore,
 2 qui valet ingenio, qui viget eloquio.
 3 Cedite nunc, Musae (Pimpleia turba) canorae,
 4 et tu cum resona cantor Apollo lyra.
 5 Ite alio Veneres, Charites, Suadela, Leposque,
 6 nil moror applausus, vestra nec eulogia.
 7 Forsitan ingratus dicar, contemptor et idem.
 8 Quisquis erit doctus, Phoebus et ille mihi.
 9 Talem ego delectum facio. Meus ergo disertus
 10 Borbonius nostro carmine clarus erit.

IN EFFIGIEM MELANCHTHONIS

L_159 v.1 Quae cernis tantum non viva Melanchthonis ora
 2 Holbenus pinxit. Bella tabella nitet.

AD BRIENNUM TUCCAM

L_160 v.1 Forte vernanti spatiabar agro
 2 candida caeli fruiturus aura
 3 cum meas tali zephyrus susurro
 4 perculit aures.

5 "Nuntium apporto tibi qui placebit,
 6 splendidus nam Tucca decus tuarum
 7 dulce Musarum modo dignitate
 8 fulget equestri.
 9 Fac lyram sumas igitur consonam
 10 Numine et sacri Clarii vocato
 11 audeas laetis sociare nervis
 12 carmina festa."
 13 dixit, et nostra haec Erato lubenter
 14 audiens frontis nitidae serenos
 15 induit vultus, modulis resolvens
 16 talibus ora.
 17 "Hoc dies felix niveo lapillo
 18 semper et festis roseis notanda
 19 Tucca qua pompae meus ille sumpsit
 20 nomen equestris.
 21 Gaudium pectus solidum meum nunc
 22 possidet, tanto tibi enim patrono
 23 talis aspiret facili secundae
 24 gratia sortis."
 25 Deprecor sit pars minima hac tuarum
 26 laudium, multis titulisque crescas,
 27 vixeris donec Pylis viceris
 28 Nestoris annos.

INSIGNIA REGIS HENRICI OCTAVI

L_161 v.1 Lilia magnanimis conjuncta leonibus alma
 2 regis ab Henrici numine lumen habent.

INSIGNIA EADUEARDI PRINCIPIS

L_162 v.1 Aurea ter geminis ornata coronula plumis,
 2 sidereo Eduardi vertice celsa nitet.

AD CYGNUM, DE IOANNE MASONO EQUITE

L_163 v.1 Cygne, decus montis Pimplei, quaeris amore
 2 Masonum quali prosequar ipse meum.
 3 Illud quandoquidem studio tu poscis amico,
 4 accipe sincera verba relata fide.
 5 Tali Masonum fidum complector amore,
 6 qualem nulla tibi dicere lingua potest.

EDUARDO PRINCIPI CAMBRIAE ILLUSTRISSIMO, DUCI CORINIAE ET COMITI PALATINO

L_164 v.1 Est mea Musa tuo vel devinctissima patri,
 2 cujus praecingit festa corona caput.
 3 Omnibus ergo modis studet invigilatque modestis
 4 te talem ac tantum demeruisse sibi.
 5 Ut desint vires, animo tamen ardet amico
 6 eximias dotes concelebrare tuas.
 7 Praebuit exemplum nuper, cecinitque canoro
 8 natalem illa tuum carmine laeta diem.
 9 Prodiit in lucem tum qualiscumque libellus,
 10 a doctis legitur, iudiciumque subit.
 11 Non majestatem potuit conferre Maronis,

12 Nasonis fontes sed nec adire sacros.
 13 Candida sollicite, potuit quod, praestitit omne
 14 Musa per argutos officiosa modos,
 15 inque tua dicione frequens demonstrat aperte
 16 antiquas urbes, flumina, castra, sinus.
 17 Quorum nigrarunt ingrata silentia famam,
 18 quae prius emicuit lumine clara suo.
 19 Nec contenta bonis studiis hanc addere metam,
 20 ad solitum felix Musa recurrit opus.
 21 En liber hic prodit referens encomia laetus,
 22 incllyta, nobilibus dona parata viris.
 23 Mirificeque tuum cupit ille extendere nomen,
 24 famam, virtutes, numen, et omne decus
 25 talia decantans de te quae concinat aetas
 26 praesens, quae adveniens posteritasque canat.

AD SERENISSIMAM ELISABETHAM, VIRGINEM INCOMPARABLEM, HENRICI OCTAVI REGIS ANGLIAE & c . FILIAM

L_165 v.1 Sic tua collucet virtus, clarissima virgo,
 2 fulget ut in nitidis vecta Diana rotis,
 3 atque sibi laudes merito deposcit opimas,
 4 praemia in aeterna vivere digna cedro.
 5 Quam vellem me posse tuas extendere dotes,
 6 luceres medio stella serena polo !
 7 Si mihi Castalius fons ora rigasset abunde,
 8 fudisset liquidum tunc mea Musa melos.
 9 Interea possum testis pius ista referre,
 10 quae te commendent, perplaceantque mihi.
 11 Ardenti studio conflagrans ipse videndi
 12 illustrem Eduardum, qui decus omne meum,
 13 Aunthullum petii felici sidere montem.
 14 Hic vidi fratrem percoluique tuum,
 15 tempore quo Chaecus, Musarum cura, politus
 16 me commendavit voce favente tibi.
 17 Utque salutaes me tunc sermone Latino
 18 egit, ut hinc scirem quantus in ore lepos.
 19 De te concepi certe vel maxima quaeque,
 20 candida iudicium vincis at omne meum.
 21 Quid referam hic aures qua tu dulcedine nostras
 22 expleris, clare Gallica verba sonans ?
 23 Aut quid commemorem quos tu testudine sumpta
 24 centus referas, mellifluosque modos ?
 25 Rectius insinuare tuum volo, nympha, pudorem
 26 virgineum, mores ingenuosque tuos.
 27 Ad cumulum accedet tua nota modestia laudis,
 28 fortunae teres et circulus omnis erit.
 29 Perge hac ire via precor, heroina beata,
 30 virtutemque tuam suspice laeta ducem.

AD IOANNEM POLLARDIUM EQUITEM

L_166 v.1 Quamvis nominibus tu multis clarior extes,
 2 utpote vir prudens iudicioque valens,
 3 et patrocinii collucens munere claro,
 4 causidico fervet cum tua cura foro,
 5 attamen eluces mage nullo nomine quam quod
 6 Musarum fautor floridus ipse sies.
 7 Inde tibi a doctis est gratia plena relata,
 8 perfruere hac grata commoditate tua.

9 Namque operis pretium memor illa extenderit omne,
 10 fulgebis medio Castalidumque choro.
 11 Sim licet exiguus, Musas tamen excolo sacras,
 12 et dotes possum tollere praeco tuas.
 13 Interea tantum quod posco candide praesta,
 14 Musae et cantanti perge favere meae.

AD IOANNEM BRENNUM EQUITEM

L_167 v.1 Splendida belligeri praeluxit gloria Brenni,
 2 innotuit cujus nomen utrique polo.
 3 Militiae decus ille fuit, victorque triumphans
 4 Romulidum pressit colla superba jugo.
 5 Illius hinc laudes Graeci et scripsere Latini,
 6 certantes talem concelebrare ducem.
 7 Gallus erat, si Roma refert vera omnia vere,
 8 et Senonum ductor strenuus ipse fuit.
 9 Illum ductorem Senonum cognosco fuisse,
 10 pernegat at Gallum Musa fuisse mea.
 11 Notus erat Gallis per Martia facta, sed illum
 12 protulit in lucem terra Britannia parens.
 13 Frater et hujus erat Bellinus natus ad arma,
 14 dulce Britannorum qui decus omne fuit.
 15 Talibus intentum sic me docuere priores,
 16 contemptor patriae non ego laudis ero.
 17 Interea pergas exemplo assurgere claro,
 18 atque tui felix aemulus esse ducis.
 19 Sic decet ut Brenno Brennus subserviat alter,
 20 virtutis solidae gloria calcar habet.
 21 Ergo hic cum referas nomen de nomine Brenni,
 22 exhibeas forti Brennica facta manu.
 23 Italia edocuit te multa illustria felix,
 24 maxima pars famae crevit et inde tuae.
 25 Marte Caledonios Scottos fusosque fugatosque
 26 aspexisti audax, tu quoque victor eras.
 27 Cum caderet multa vi fracta Bononia, miles
 28 tunc atrox aderas, tela cruenta gerens.
 29 Sed quid ego in bellis tantum nunc immoror istis ?
 30 Spes mea sunt Musae, deliciaeque meae.
 31 Candida pax regnat. Deponas tela molesta,
 32 fac Musas repetas impiger atque tuas.
 33 Illae te statuent felicem in vertice summo
 34 Parnassi. Pretium nobile laurus erit.

DE HECTORE BOETHIO

L_168 v.1 Hectoris historici tot quot mendacia scripsit
 2 si vis ut numerem, lector amice, tibi,
 3 me jubeas etiam fluctus numerare marinos,
 4 et liquidi stellas connumerare poli.

DE LIBRO HIERONYMI VIDAEE DE SCACCHIS

L_169 v.1 Maeonides cecinit fera proelia, gessit Achivus
 2 quae cum Dardanio milite miles atrox,
 3 ludicra sed Marcus cecinit Vida proelia, picti
 4 quae gessere duces albus et inde niger.
 5 Ilias aeternum sublimi nomen Homero

6 contulit, at Marco ludicra bella ferent.

AD POLYDORUM VERGILIUM

L_170 v.1 Primus ego asserui nostrae sua nomina gentis
2 urbibus antiquis, ne, Polydore, neges.
3 Et quae Cimmeriis obducta fuere tenebris,
4 acceperere novum (me referente) diem.

AD CAROLUM CAPELLIUM, ORATOREM VENETUM

L_171 v.1 Ipse tuos legi sermones, docte Capelli,
2 eloquio claros, religione, fide.
3 Te quis in Hebraea sic profecisse putasset
4 lingua ? Rabbinos vel superare potes.
5 Exspectare quidem potuissem talia Divo
6 vel de Munstero, vel Capitone sacro.
7 Sed tu iudicium voluisti fallere nostrum.
8 Macte animo, ad superos haec via recta deos.

AD ANTONIUM ROSSUM

L_172 v.1 Sic doctas habeam novem puellas
2 fautrices mihi, Rosse, Apollinemque,
3 ut te tanquam oculos amem meos, qui
4 absentem studio colis sodalem,
5 nullo inquam penitus tuum minori
6 quam quo tempore singulis diebus
7 praesens tecum ad agros amoeniores
8 iret, sumpto aliquo in manu libello,
9 linguae non modo qui decus Latinae,
10 sed virtutem etiam doceret ipsam.

AD LUDOVICUM VIVEM

L_173 v.1 Gentis rarus honor decusque Iberae,
2 Vives, qui patriam tuam serenas
3 claris artibus eloquentiaque,
4 auctores cupiens suo nitori
5 doctos reddere, quos molesta valde
6 illa injuria temporum repressit,
7 aspira resonos modos canenti
8 musae, quae vehementer ardet illas
9 virtutis solidae tuae nitelas
10 toto pectore consecrare famae,
11 ut te posteritas celebret omnis.
12 Marcus Tullius utriusque linguae
13 fons vel perpetuus bonusque, poscit
14 orator Fabius minora nulla.
15 Illius quoniam disertus aptusque
16 interpres, ita Scipionis alti
17 somnum discutis, ut vel elegantis
18 commentaria Macrobi labore
19 pergrato superes, potens vel aequus.
20 Atque hujus recolis frequenter artes
21 dicendi, probus artifex et ipse.
22 Tantumdem tribuit tibi severus

23 Hispano Seneca eruditionis.
 24 Alnum lumen et interim libellos
 25 illustri calamo tuo notatos
 26 felices reputat suos, ovatque
 27 Augustinus Apher. Sacratioris
 28 scripturae pius optimusque certe
 29 doctor, gaudet alacritate motus
 30 qua tu restituis Deo supremo
 31 oblatrantibus impiis coronam
 32 festam, munera summa "Civitatis
 33 caelestis", scholia aspicitque laetus,
 34 queis illum niveis modis beasti.
 35 Perge hac comprecor ire. Sic micantes
 36 conscendes nitidi ad choros Olympi.

IN FLORES TERENTII A NICOLAO ODOUALLO ILLUSTRATOS

L_174 v.1 Candidus eximiam monstrare Terentius artem
 2 eloquii novit, Roma diserta, tui.
 3 Illius ex horto flores selegit amoenos
 4 Odallus, cupidae sedulus instar apis.
 5 Quoque labor pueris studiosis gratior esset,
 6 transtulit in patrios verba Latina sonos.
 7 Insuper et scholion, facundae munera linguae
 8 addidit, aeterna vivere digna cedro.
 9 Vos igitur juvenes Odallum ornate Britanni,
 10 sic fluat e vestro comicus ore lepos.

AD EADUEARDUM FOXIUM

L_175 v.1 Flores gratia patriae Britannae
 2 Foxi, inter celebres tenens Latini
 3 sermonis merito locum patronos.
 4 Te bis terque tuus rogat benigne
 5 Lelandus, capias ut haec amici
 6 laeta munera fronte, quae notavit
 7 currenti teneris manu papyris,
 8 nondum cincta quidem Camena pulchre
 9 fulgentes hedera comas nitenti.
 10 Quod te non dubitat lubentiori
 11 facturum studio (vel hoc probato
 12 inquam nomine) principem eruditum,
 13 communem dominum favente sorte,
 14 quod tecum deamet, colatque felix
 15 cujus gloria vera sic coruscat
 16 virtutum radiis ut unus ille
 17 totum sol nitidus serenet orbem.

AD AUGUSTINUM PAITONUM MEDICUM

L_176 v.1 Non equidem possum satis admirarier unde
 2 ista tibi in Musam laus sine fine meam.
 3 Forsitan exspectas alterno rursus amore
 4 praedicet ut laudes nostra Camena tuas.
 5 Rectius hoc facient Patavini docta caterva,
 6 inter quos olim tu quoque talis eras,
 7 qualis erat Linacer, medica celeberrimus arte,
 8 iudicio et lingua clarus utraque meo.

9 Des igitur veniam tenui, Augustine, Camenae :
10 laudes si posset diceret illa tuas.

IN FRONTISPICIO PETRONII ARBITRI

L_177 v.1 Eruit hic venas abstrusas divitis auri,
2 quaerit Erythraei littoris alter opes.
3 Nos veteres libros, linguae monumenta Latinae,
4 sollicita asserimus terque quaterque manu.
5 Ecce tibi, lector studiose, Petronius ille
6 prodit, et in nivea veste serenus ovat.
7 Aurum temporibus cedit gemmaeque, Petroni
8 perpetuus docti fama superstes erit.

AD N. BISSUM, FONTANUM

L_178 v.1 Est tua perpetua probitas dignissima laude
2 multis nominibus, cognite Bisse mihi.
3 Et tua praeclaros titulos doctrina meretur,
4 seu te sacra vocet contio, sive forum.
5 Addo quod et niveus candor morum ille tuorum
6 insignem ac merito postulet usque notam.
7 Ergo ego fortunas ut raras osculor istas,
8 sic Fontanae omnis te chorus urbis amet.

CALAMUS NILOTICUS, DONO DATUS GUILIELMO BLONDO

L_179 v.1 Quam mihi transmisit pro pignore Smythus amoris,
2 en ad te, exiguum munus, arundo venit.
3 Sit licet exiguum, ne spernas attamen. Ingens
4 gratia vel parvis rebus inesse solet.
5 Namque alia haec praeter quae secum plurima defert
6 commoda, Niloticus venit arundo vadis.
7 O quoties volucris depinxit carmina cursu,
8 officium praestans nocte dieque suum !
9 Accola Niloticae ripae proferre susurros
10 edidicit, Zephyro et flante canora fuit.
11 At mihi Musaeum postquam excoluisset amoenum,
12 concinuit variis carmina mista sonis.
13 A dominoque aegre divellere passa, penates
14 quo fortuna vocat, suspicit illa tuos.

AD THALIAM, UT EADUEARDUM ODODUNUM MEDICUM INVISAT

L_180 v.1 Tu nunc auriculis studes placere
2 si tersis, pete candidum Odudunum,
3 quo felix apium loco caterva
4 flores excutit, at suaviores,
5 et clarum celebra virum, Thalia.
6 Ille alto Siculi docet poetae
7 carmen iudicio. Explicat disertis
8 libros magniloqui modis Homeri.
9 Tulli et rhetoricos sui colores
10 orator vehemens venustat ipse.
11 Cultor denique maximus Galeni
12 exercet medicas lubenter artes,
13 et nostris studiis favet serenus.

14 Natura locus est sacer Camenis,
15 ibis gratior hospes et redibis.

ENCOMIUM ROSAE, AD MARIAM REGIS FILIAM _ ROSA LOQUITUR

L_181 v.1 Gloria quae clari virgo ter maxima patris
2 et patriae a cunctis diceris esse tuae,
3 en rosa florigero (formosum munus) ab horto
4 adsum, lacteolo gemma locanda sinu.
5 Id quod ut obtineam, paucis tibi, nympha serena,
6 narrabo generis nomina celsa mei.
7 Est mihi (diva) pater Zephyrus, qui flamine leni
8 temperat hortensis florida regna soli.
9 Mater at eximia veniens ab origine Tellus,
10 omnifero cujus numine prata virent.
11 Ubera prima mihi carae praebebat alumnae
12 Flora, renascentis gratia veris ovans.
13 Si patriam quaeris, pulchra est mihi patria Paestum,
14 Appulicos inter fama superba lares.
15 Si quoque fragrantem trivit quis casus odorem
16 quaeris, et unde mihi sanguinis iste color,
17 expediam. Phrygius Ganymedes nectaris olim
18 forte ministrabat pocula plena Jovi.
19 Dumque ministrabat, stellantis lumina caeli
20 miratus, fudit nectara dulce puer.
21 Quod liquidi stillans sinuosa per atria caeli,
22 susceptum foliis diffluit usque meis.
23 Purpureum magnae Veneri debemus honorem,
24 quae me prae cunctis floribus alma fovet.
25 Illa per Idalios lucos dum quaerit Amorem,
26 sorte pedis dura vulnerat ima rubus.
27 Unde ego pressa novos lacero de vulnere succos
28 imbibi, et ex albo facta colore rubens.
29 Jam tibi si placeo, Maria illustrissima, primum
30 basia da foliis terque quaterque meis.
31 Tum quoque cum nares fragor demulserit ardens,
32 iste sinus niveus me gerat usque tuus.
33 Sic decet ut foveas praestantior omnibus una
34 me florem, generis participemque tui.

AD ANTONIUM COCUM NOBILEM

L_182 v.1 Curis tota mihi jacebat atris
2 languens Musa, lyrae nec ulla curvae
3 mansit gratia, cum tua obseratas
4 pulsavit digito fores Thalia
5 nostras, puniceis decora sertis,
6 et docta citharam manu canoram
7 pulsans usque adeo suaviter me
8 captum ut mirificis modis simulque
9 delectaverit, excitaveritque
10 desuetam ad resonas fides Camenam.
11 Nunc Amphiona provocasse credo
12 dulci carmine saxa delibuta
13 Thebanas facili labore ad arces.
14 Nunc Arioniam lyram secutum
15 credo pinnigerum fuisse piscem.
16 Nam tu qui ad numeros vocare nostram
17 tam tardam potes erudite Musam

18 Antoni, minimo labore saxa et
19 pisces aequoreos potes movere.

AD GLORIAM

L_183 v.1 Gloria, tu celebris semper stas vertice summo
2 Parnassi, juvenes ad tua sacra vocans.
3 Inter quos fateor quondam me thura dedisse,
4 votaue cum preculis ingeminasse piis.
5 Gloria, vis verum dicam, et quae sentio ? Vulgi
6 non moror applausus iudiciumve leve.
7 Interea potero laudes agnoscere, sed quas
8 doctorum tribuet calculus ille virum.

AD THOMAM RONCORNUM

L_184 v.1 Felix cum teneas linguam, Roncorne, Latinam
2 iudicii rara dexteritate boni,
3 cur sibi non partem studiorum vendicat unam
4 carmen, et effusis miscet amara jocis ?
5 Incipe Maeonio vates praeludere versu,
6 adveniet coeptis dexter Apollo tuis.
7 Ipse ego praeterita peterem cum nocte cubile,
8 clausissetque mihi lumina fessa sopor,
9 laurigerum vidi Phoebum, vidique sorores
10 ex hedera facili textere sarta manu.
11 Cum quibus ornarant postquam tua tempora, dixit
12 Delius, "Auspiciis cresce, poeta, bonis."
13 omina ne spernas sacri felicia Phoebi.
14 Est magnum, talem demeruisse deum.

MORIADES, CHARITAEA CORONA

L_185 v.1 Desine facundas nimium laudare disertis
2 natas Hortensi (maxima Roma) tui.
3 Candida tres Charites nam Mori cura politi
4 obscurant multis nomina vestra modis.
5 Non illis studium Milesia vellera dextra
6 carpere, non facili ducere fila manu.
7 Sed iuvat eloquii crebro monumenta Latini
8 versare, et doctis pingere verba notis.
9 Nec minus autores Graecos evolvere, Homerum
10 et quem dicendi gloria prima manet.
11 Ut nec Aristotelis dicam quo pectore libros
12 scrutentur, sophiae mystica dona deae.
13 Turpe viris posthac erit ignorare Minervae
14 artes, grex adeo quas muliebris amet.

AD LODOVICUM DUBRINGUM

L_186 v.1 Carmen quo, Ludovice, me salutas
2 post longos reducem scholae labores
3 arridet varia mihi figura,
4 non tam quod facilem chorum sororum
5 secum magnifice afferat, deque
6 sacrum laurigeri gregem poetas,
7 quam quod sic animi ferat benigni

8 candorem niveum fidemque certam
 9 inter nos similes futuri amoris.
 10 Quam nunc accipio lubensque, non quas
 11 tu laudes calamo incalente scribis
 12 accepturus. Habent enim altiora
 13 nostra haec quam tenuis Minerva possit
 14 fronte agnoscere maxime pudica.
 15 Sed tu, inquam, facile id facis, quod ultro
 16 et semper facis illiciti favore.
 17 Hoc est, laudibus evehis frequenter
 18 omnes magniloquis, Dubringe, saltem
 19 addictos sophiae sacris severae.
 20 Ergo carmine reddimus Phaleuco
 21 laudem, quam tribuis canorus ipse
 22 praeco. Sic etenim decet juvatque
 23 par munus numeris tuis dedisse.

AD ILLUSTRISSIMUM HENRICUM DUCEM RICHOMONTANUM

L_187 v.1 Quo Romana modo majuscula littera pingi,
 2 pingi quo possit littera parva modo,
 3 Hic liber ecce tibi signis monstrabit apertis,
 4 Princeps, Aonii spes et alumne gregis.
 5 Qui tibi si placeat, quod certe spero futurum,
 6 maxima pro parvo munere dona dabis.

AD INVICTISSIMUM REGEM HENRICUM OCTAVUM, DE HIPPOMACHIIS

L_188 v.1 Splendida quis nescit veteris spectacula saeculi
 2 quot titulis vatum tollit in astra chorus ?
 3 Quae collata tuis, rex invictissime regum,
 4 frigent, nunc liceat dicere vera mihi.
 5 Praemia nam pugnae quoties decernis equestri,
 6 ipse sedens Scythico conspiciendus equo,
 7 Flamini longe vincis miracula circi,
 8 et quicquid campus Martius ille tulit.
 9 Testis erit magnus Caesar, mihi testis et ipse,
 10 Gallica qui forti robore regna tenet.
 11 Hi vel saepe tuos coram videre triumphos,
 12 et visis palmam numen utrumque dedit.
 13 Quis valet applausus hic connumerare tuorum,
 14 quos dant cum sonipes verberet acer humum ?
 15 Quis valet insultus satis admirarier altos,
 16 cum ferit alipedis calcar utrumque latus ?
 17 Artificesque manus, illos fortesque lacertos,
 18 quis valet emeritis condecorare notis ?
 19 Clamat io populus quoties cum laude reportas
 20 concusso fractam victor ab hoste trabem.
 21 Scinditur interea procerum sententia late,
 22 de virtute ferunt iudiciumque tua.
 23 Omnes magniloqui, certantes fortiter omnes,
 24 insignes titulos accumulare tibi.
 25 Unus contendit, domitor quod Castor equorum
 26 talis erat, qualem te tua turba videt.
 27 Alter, laetitia perfusus pectora dulci,
 28 haec dicit, "Talis Troicus Hector erat."
 29 tertius applaudens confert tibi nomen Achillis,
 30 virtutis similem sortem in utroque notans.
 31 Denique ut excrescat factorum fama tuorum,

32 non desunt, hac te qui ratione probant.
 33 Belliger horrisonis quantus Mars fertur in armis,
 34 Henricum tantum sentit arena ducem.

IN LAUDEM DESIDERII ERASMI

L_189 v.1 Oratore bono tumeat Demosthene Graecus,
 2 et celebret Marcum turba Latina suum,
 3 dummodo collaudet magnum Germanus Erasmus,
 4 eloquii cuius fons et in ore fluit.

AD STEPHANUM GARDINERUM VIRUM UNDECUNQUE DOCTISSIMUM

L_190 v.1 Indidit ille tibi Stephani qui nobile nomen
 2 praescivit fati dona futura tui.
 3 Exacuis quoties facundo pectore causam
 4 implicat argutum verna [corona] caput.
 5 Lucida cumque scolis monstres pigmenta politae
 6 rhetorices, lambit prima corona comam.
 7 Et cum stet docto te fabula docta chorago,
 8 comica tum scenis parta corona tuis.

AD ROBERTUM ALDRIGUM

L_191 v.1 Si scires penitus meae Camenae
 2 erga te studium, benignis illam
 3 ulnis acciperes, tuoque dignam
 4 (ni fallor modo) diceres favore.
 5 At qui scire meae (rogo) tacentis
 6 affectum potes intimum Camenae ?
 7 Ut sis ergo sciens, lubenter in te
 8 testatos faciet suos amores,
 9 attingetque tuas canora laudes
 10 doctrinae solidas, jubente Granta,
 11 quae te, quae juvenem bonas docebat
 12 artes ingenuum elegantiamque
 13 illo tempore quo beata Erasmus
 14 ingentis pretii virum fovebat,
 15 non magno sine commodo suorum
 16 omnium, et tulit ut quidem secundus
 17 casus, praecipue tuo. Assidebas
 18 nam Desiderio laboriose
 19 exemplaria docta conferenti
 20 castae relliquias Latinitatis.
 21 Nunc, Aldrige, tibi suas Camena
 22 partes praestitit, additura metam
 23 succincti hendecasyllabis Phaleuci.

ACCLAMATIO AD ILLUSTRISSIMUM HENRICUM OCTAVUM ANGLIAE REGUM ISIDIS VADUM REVISENTEM

L_192 v.1 Venisti, princeps expectatissime rerum,
 2 ut tandem (radiis veluti sol aureus orbem)
 3 Isidis illustres sedem numerumque sophorum ?
 4 Ulnis te merito Charis et complectitur Isis,
 5 quosque fivent placido gremio tua nomina, dulce
 6 cantantes excelsa ferunt ad sidera cygni.
 7 Perge precor doctis sua praemia reddere, princeps,

8 qui te virtutesque tuas sic vasta per orbis
 9 climata distendent, videaris ut omnibus instar
 10 unus multorum victor ter maximus esse.

DE QUIBUSDAM NOSTRI SAECULI POETIS

L_193 v.1 Hic inter vates quos saecula nostra tulere,
 2 si quaeris, quis me iudice primus erit,
 3 invidia dicam posita quod sentio plane,
 4 ungues nec metuet nostra Thalia nigros.
 5 Splendida collucet Pontani gloria primi,
 6 Nasonis cultor maximus ille fuit.
 7 Proximus a primo Graeca de gente Marullus
 8 ad numeros natus mellifluosque modos.
 9 Actius aeterno Sinceri nomine dignus,
 10 florem virginei tollit ad astra chori.
 11 Mantua quem genuit Baptista canorus eandem
 12 concinuit Mariam, clarus uterque nitet.
 13 Angelus ad numerum venit immortalis eorum,
 14 divinus vates subsequiturque Vida.
 15 Nobilis est Hessi Musa, illustrissima testis
 16 "Ilias" in Latiis conspicienda scolis.
 17 Nicholeos noto dictus cognomine Valla,
 18 candidus interpres hac quoque parte micat.
 19 Aetas nostra sales ac Mori laudat acumen,
 20 gratior haec eadem posteritasque canet.
 21 Borbonii "Nugae" nostri vel seria ducunt.
 22 Sunt alii quorum carmina digna cedris.
 23 Non ego Sedigitus : mihi qui volet, usque reclamet.
 24 Iudicium per me stet modo cuique suum.
 25 At si nunc sciolus vel confidentior unus
 26 Pontani minuat dona beata mei,
 27 praesto est quod referam (nec enim metuo mihi ab umbris)
 28 unde operis pretium censor et ipse feret.
 29 Quicquid Cecropii proceres docuere, Latini
 30 quicquid et eloquii Roma diserta tulit,
 31 eximium quicquid dea prudentissima Pallas
 32 praestitit, ingenii fertilitate sui,
 33 excoluit quicquid Phoebus doctaeque sorores,
 34 quicquid in Aoniis praenitet atque jugis,
 35 et Veneres quicquid Charitesque, Salesque, Leporesque,
 36 ac Pitho niveis exhibuere notis,
 37 ut mittam Uranien, caeli stellasque micantes,
 38 Hesperidumque hortos, munera laeta quidem,
 39 adde antiquarum monumenta celebria rerum,
 40 in lucem e tenebris jam revocata novam,
 41 omnino edidicit, mente atque recondidit alta,
 42 intentus studiis nocte dieque bonis.
 43 Haec me virtutis radiantia signa serенаe,
 44 tollere Pontanum sidera ad ipsa jubent.

AD EADMUNDUM BONERUM

L_194 v.1 Non ego glandiferas possum deducere quercus
 2 montibus, aut dulci saxa movere sono.
 3 Non possum rapidos fluviorum sistere cursus,
 4 sectantes praedam nec retinere feras.
 5 Parva loquor parvus. Forsan mulcere Thalia
 6 auriculas poterit, [docte] Bonere, tuas.

AD LUDOVICUM BEDELLIUM

L_195 v.1 Suppeteret mihi si dicendi tanta facultas
 2 olim quanta fuit Naso poeta tibi,
 3 aut mihi si dives praestaret copia cornu,
 4 Virgilii quondam quale fuisse canunt
 5 te vel in illustri tabula depingere vellem,
 6 Bedelli, Aonii candida fama gregis.
 7 Sed quoniam non ista meo dat curta supellex
 8 ingenio, vati sit voluisse satis.
 9 Nec voluisse satis, repetat nisi paucula quae te
 10 commendent, laudes insinuentque tuas.
 11 Cantius ille suum te magni fecit alumnum
 12 Varramus, multae nobilitatis homo.
 13 Omnibus hinc doctis coepisti gratior esse,
 14 praecipueque tuus magnus Erasmus erat.
 15 Qui fuit aequalis magno Grocinus Erasmo,
 16 insigni coluit te pietate diu.
 17 Prima salutiferae medicinae gloria, Thomas
 18 te Linacer noster fovit amore pari.
 19 Denique te longo dilexit tempore Morus,
 20 Morus amor Phoebi, delictumque fori.
 21 Haec habui, cupidus te commendare perenni
 22 famae. Nunc votis annuat illa meis.

AD THOMAM HARDINGUM REGIUM PROFESSORUM SACROSANCTAE HEBRAEAE LINGVAE IN ISIDIS VADO

L_196 v.1 Talis nuper erat tua certe oratio felix,
 2 excoluit linguae quae decus omne sacrae,
 3 qualis erat magni Demosthenis optima quondam,
 4 Atticus effluxit cujus ab ore lepos,
 5 qualis et eximii Ciceronis floruit illa,
 6 qua duce securus constitit ipse Milo.
 7 Unde haec tam subito crevit facundia dives
 8 aures quae mentem detinuitque meam ?
 9 An dulcis Pytho rorem tibi nectaris illum
 10 infudit ? Vel apes mella dedere sua ?
 11 Intulerit quaecumque tuis sors fausta liquorem
 12 labris mellifluum, profuit illa quidem.
 13 Denique si tua me posthac oratio lecta,
 14 quantum audita semel mulserit arte pari,
 15 confirmator ero vel maximus ipse tuarum
 16 laudum, praeterea praeco canorus ero,
 17 et mea Musa tuum celebrabit carmine nomen,
 18 cedro quo nullum dignius esse puto.

LIBER FRANCISCI BARBARI « DE RE UXORIA », DOMINAE MARIAE REGIS FILIAE DATUS

L_197 v.1 Barbarus hoc parvo, quid res uxoria, libro
 2 explicat egregie, diva Maria, tibi.
 3 Accipies igitur plenis haec nubilis annis
 4 munera, ab officiis non aliena tuis.
 5 Sed qua fronte solet turbae regina pudicae,
 6 cum vehitur niveis conspicienda rotis.
 7 Sic tibi contingat formosus (nympha) maritus,
 8 quem facias laeta fertilitate patrem.

INSTAURATIO BONARUM LITERARUM

L_198 v.1 Ecce renascentis doctrinae gloria floret,
 2 linguarum floret cognitioque trium.
 3 Migrat in Italiam Graecus thesaurus, et artes
 4 se reparaturum praedicat usque bonas.
 5 Excoluit eloquii vivos Hispania fontes,
 6 Gallia nunc studiis tota dicata nitet.
 7 Nutrit honorifice doctos Germania multos,
 8 quorum sunt orbi nomina nota probe.
 9 Ingeniorum altrix et nostra Britannia, Phraeum,
 10 Tiptotum, Vidvum, Flaminiumque tulit.
 11 Lumina doctrinae Grocinus deinde secutus,
 12 Sellingus, Linacer, Latimarusque pius,
 13 Dunstallus, Phaenix, Stocleius atque Coletus,
 14 Lilius et Paceus, festa corona virum.
 15 Omnes Italiam petierunt sidere fausto,
 16 et nituit Latiis Musa Britanna scolis.
 17 Omnes inque suam patriam rediere diserti,
 18 secum thesauros et retulere suos,
 19 nempe antiquorum scripta exemplaria passim
 20 Graecorum, aeternas quae meruere cedros.
 21 Vivat doctorum felix industria, per quam
 22 lux pulsus tenebris reddita clara nitet.

AD ROBERTUM TALBOTUM

L_199 v.1 Tu qui Castalio sitim liquore
 2 Musarum comes excutis beatus,
 3 atque in verticibus sacri duobus
 4 Parnassi placido sopore felix
 5 languentes oculos subinde mulces,
 6 tu qui nunc hederam geris sequacem,
 7 clari praemia consueta vatis,
 8 arguta ad citharam canisque voce
 9 concentus melicos, Apollo quales,
 10 quantumvis deus, ipse comprobaret,
 11 adsis oresonae modis Camenae,
 12 Talbote, Aonii chori nitela,
 13 quae certe vehementer optat acre
 14 istud iudicium tuum subire,
 15 quo nil tersius, elegantiusve,
 16 sed nec doctius, absolutiusve,
 17 ut sic vel cadat impotenter acta,
 18 aut stet candida, calculo notata
 19 insigni, tereti, unionis instar,
 20 et blattas timeat nihil situmque.
 21 Jam tandem videor mihi videre
 22 crescentes facie in tua favillas,
 23 ignes quae bene suscitent amoris.
 24 Sic frons laeta quidem serenat ora,
 25 mentis sic oculi indices faventis
 26 elucent radiis, benignus ipse
 27 subrides etiam, titillat illud,
 28 me tum commonet ut putem Camenae
 29 vel salva omnia jam esse, salva plane.
 30 Rumores igitur severiorum
 31 omnes unius aestimabit assis,
 32 et Codros (genus invidum) malignos,

33 picos obstreperos, loquaciorem
 34 illum denique psittacum, sinistra
 35 et corvos crocitantas [acre] raucos
 36 contemnet, clipeo valente freta,
 37 ac rursus niveam benignitatem
 38 in carta memori tuam locabit.

FAVONIUS INSTRUCTOR MUSICUS

L_200 v.1 Quis docuit cygnum canere ? Favonius ille,
 2 cujus ab occiduo spiritus orbe venit.

AD HENRICUM OCTAVUM REGEM POTENTISSIMUM

L_201 v.1 Ante suos Phoebus radios ostendere mundo
 2 desinet, et claras Cynthia pulchra faces,
 3 ante fluet rapidum tacitis sine piscibus aequor,
 4 spinifer et nullam sentis habebit avem,
 5 ante sacrae quercus cessabunt spargere ramos,
 6 Floraque sollicita pingere prata manu,
 7 quam, rex dive, tuum labatur pectore nostro
 8 nomen, quod studiis portus et aura meis.

AD TIMOTHEUM LUCIUM

L_202 v.1 Luci, Pieriae decus cohortis,
 2 cum quo sum solitus jocis severas
 3 curas fallere maxime, obsecrator
 4 ad te nunc venio, simulque causa est
 5 ut Plauti numeros tui salesque
 6 deponas aliquot lubens ad horas,
 7 noti et versiculos legas amici,
 8 qui dotes faciles tuas celebrant,
 9 qui te tam veterem mihi sodalem
 10 cantant, suspiciunt, colunt, adornant
 11 pro candore tuo, suas putantes
 12 partes esse quidem benignitatem
 13 collatis meritis parem referre.

AD BRIENUM TUCCAM EQUITEM, CUM EI MELAM ET SOLINUM OFFERRET

L_203 v.1 Si mores hominum multorum urbesque videre
 2 convenit ingenuo, Tucca diserte, viro,
 3 si maris et terrae varios cognoscere tractus
 4 tam gratum est ut nil gratius esse queat,
 5 occupet iste tuos oculos animumque libellus,
 6 qui tibi pro speculo totius orbis erit.

IN REDITUM GUILIELMO GUNTHERI

L_204 v.1 Parva remitte mihi nunc tempora, dia Thalia,
 2 tempora nunc studiis parva remitte meis.
 3 Haec modo festa dies, quae lucem protulit aliam,
 4 Cretensi multum more notanda mihi.
 5 En meus en rediit Guntherus laetus ab urbe,
 6 dulce decus Musae praesidiumque meae.

7 Digna Panomphaeo reddentur vota tonanti,
8 gaudia qui fausto sidere tanta dedit.

IN FRONTISPICIO LIBELLI

L_205 v.1 Si cupis antiquas rerum cognoscere causas,
2 quicquid et inscripti marmoris orbis habet,
3 huc mentem, huc oculos flectas, hic aurea pleno
4 ingentes cornu copia fundit opes.

AD FRANCISCUM DINAMUN

L_206 v.1 Bellisoni doctum degustas carmen Homeri,
2 exsugens labris Attica mella tuis.
3 Perge animo forti, coeptis audacibus olim
4 plenos successus pulcher Apollo dabit.
5 Ipse sequar, molli Zephyri cum lenior aura
6 extendet navis vela secunda meae.
7 Interea utaris faustis, Francisce, diebus,
8 nam sine litterulis quae fugit hora perit.

AD CYGNUM, DE STELLA VIRGINE

L_207 v.1 O qualis vultus, et quali dignus Apelle
2 praenitet in Stella, candide cygne, mea !
3 Rursus qui mores ! Animus quam candidus illi !
4 Pictor qui formet talia nullus erit.

IN AGILITATEM SCHOENOBATIS

L_208 v.1 Splendida famosum coluit dum Roma theatrum,
2 in pretioque stetit fabula docta suo,
3 detinuit populi funambulus alipes usque
4 defixos oculos, fit strepitusque frequens.
5 Praestitit artificis partes feliciter omnes,
6 tensa levi doctus stringere lina pede.
7 Talia delectent sic cum spectacula plebem,
8 ars pretium sperans exerit alta caput.
9 Venit ad aequoreos animosa virago Britannos,
10 spectaculo certam praestituitque diem.
11 Et quia cudebat nummos, urbs inclita visa est
12 Londinum, cumulos posse referre novos.
13 Jamque dies aderat, numerus convenerat ingens,
14 distenti funes, area tota calet.
15 Ludit in extensis agili pede Gallica virgo,
16 nec timet occasum praecipitesve minas.
17 Sed quocumque parat sese transferre, volucris
18 comprimit atque agit at lina retorta pede.
19 Maeandros populus dum suspicit, adsonat ore
20 Stentoreo, "Temeros, femina, siste pedes."
21 Illa volat, cursuque novo perstringere lina
22 perstat, festivis alloquiturque modis.
23 Alligat inde pilas teretes audacula plantis,
24 et calcat celeri cognita lina gradu.
25 Mox spectatorum loculos ubi sentit apertos,
26 "O cadat in casses praeda petita meos"
27 dixit. Et applaudens populus large erogat, atque

28 virginis impigrae ludicra facta probat.
 29 Saecula quod retinent veterum, spectacula nostra
 30 collaudo plane, suspicioque lubens.
 31 Adsit laetitiae cumulus, crudelia prorsus
 32 damno, sanguineam, carnificemque manum,
 33 qualia multa quidem violenta potentia quondam
 34 Urbis Romanae tristitia saepe tulit.

AD GEORGIUM GOLDUINUM

L_209 v.1 Communis studiorum amicus ille
 2 nostrorum Tomio, meis salutans
 3 te verbis, rogat ut tuae Camenae
 4 carmen tam lepidum, elegans, venustum
 5 plene carminibus meis probarem.
 6 Quod quamquam artificem petit peritum,
 7 fontem ac ingenii, tamen rogatus
 8 tali nec potui negare amico
 9 quicquam, nec volui. Ergo ut imperitae
 10 ignoscas rogo, Golduine, Musae,
 11 quam nunc languidulam prope et jacentem
 12 hinc magnis Tomio excitavit ausis,
 13 illinc Lentulus excitavit ausis.

IN LAUDEM GALLOFRIDI CHAUCERI, ISIACI

L_210 v.1 Dum juga montis aper, frondes dum laeta volucris,
 2 squamiger et liquidas piscis amabit aquas,
 3 Maeonides Graecae linguae clarissimus autor,
 4 Aonio primus carmine semper erit.
 5 Altisonusque lyrae, Phoebos applaudente, Latinae
 6 gloria Virgilius maxime semper erit.
 7 Nec minus et noster Galfridus summa Britannae
 8 Chaucerus Musae gratia semper erit.
 9 Illos quis nescit felicia saecula tulisse ?
 10 Hunc aetas tantum protulit illa rudis.
 11 Tempora vidisset quod si florentia Mysis,
 12 aequasset celebres ut superasset avos.

AD H. COLUM

L_211 v.1 Felix Thespiadum comes, diserte
 2 Cole, illo ingenuo calore mentis
 3 linguae qui recolis patres Latinae,
 4 miscens apposite Latina Graecis,
 5 si nunc a tetrica vaces Minerva
 6 et non detineant ter occupatum
 7 majores animum tuum labores,
 8 hoc carmen breve perlegas amici,
 9 quo monstrare cupit suum benignus
 10 erga te studium, elegantia at non
 11 illa qua niveus chorus renidet
 12 hinc illinc Patavinus, atque dotes
 13 insignes celebrat tuas canorus,
 14 sed qua principio sacram poesin
 15 crescentes juvenes solent adire,
 16 hoc est, pertenui et parum sonora.

DE GALLOFRIDO CHAUCER, EQUITE

L_212 v.1 Praedicat aligerum merito Florentia Dantem,
 2 Italia et numeros tota (Petrarca) tuos.
 3 Anglia Chaucerum veneratur nostra poetam,
 4 cui veneres debet patria lingua suas.

VICTORIA VIENNENSIS

L_213 v.1 Siqua dies umquam, merito haec te fausta canoram
 2 admonet ut sumas, Calliopea, lyram.
 3 Nam pater omnipotens gentem miseratus ab alto
 4 Christicolum, victo victor ab hoste redit.
 5 Cinxerat innumeris peditumque equitumque catervis
 6 muros Turca ferox (pulchra Vienna) tuos.
 7 Hunc sensisse putes immanem elementa tyrannum,
 8 illius inque sacrum tela vibrare caput.
 9 Danubius tumuit rapidis violentior undis,
 10 intentans Scythico funera justa duci.
 11 Toto (vera loquor) cecidit nix plurima caelo,
 12 et gelidus coepit stringere cuncta rigor.
 13 Hinc etiam cives telorum grandine densa,
 14 millia Turcarum multa dedere neci.
 15 Barbarus haec sensit Solimannus et, urbe relicta,
 16 corripuit turpem turpior ipse fugam.

DE MUNIFICENTISSIMO REGE HENRICO OCTAVO

L_214 v.1 Non possum domino meo referre
 2 grates pro meritis parem suis, sed
 3 longam si dederint secunda nostris
 4 vitam fata libris, futura clare
 5 aetas sentiet atque praedicabit
 6 demissum a superis fuisse lumen
 7 illum conspicuum meis Camenis.

IN FRONTE LIBELLI AD ANTONIUM DENEGIUM NOBILEM

L_215 v.1 Aurea doctorum collegi dicta virorum,
 2 qualis es, argutum fortiter illa petunt.

AD RICHARDUM VENTAMUM IURIDICUM

L_216 v.1 Desieram plectron digitis aptare suetis,
 2 et chelys in theca condita nostra fuit,
 3 candida cum tua me virtus, Ventame, juberet
 4 argutae nervis invigilare lyrae.
 5 Quis mihi desueto dictabit carmina vati ?
 6 Quis, nisi praecipuus fautor Apollo meus ?
 7 Ille probe novit dotes quas sacra Minerva
 8 ingenii dederit iudiciiue tibi.
 9 Ille etiam novit tua sit facundia quanta,
 10 quae vel dura quidem saxa movere solet.
 11 Supprimat haec Clarius, nos nulla minora canemus.
 12 Sunt tua causidico fulmina nota foro,
 13 fulmina cordatos terrentia saepe patronos,

14 cum partes nequeunt constabilire suas.
 15 Non ego nunc vanus jacto sine testibus ista,
 16 Carnaeus testes atque Ododunus erunt.
 17 Quos habet in pretio querulorum turba clientum,
 18 consilium quoties ardua causa petit.
 19 Sit satis hic laudum partem cecinisse tuarum,
 20 olim forte meo carmine major eris.
 21 Tunc canet alma parens nostros tua Cambria versus,
 22 et docti, quotquot terra Britannia fovet.

AD IOANNEM SHEPREVIUM

L_217 v.1 Inter candidulos meos amicos,
 2 Shrepevi, loca qui tenes suprema
 3 ob morum lepidam suavitatem
 4 et Musas etiam elegantiores,
 5 en nomen placuit tuum libellis
 6 nostris inseruisse, non quod ipse
 7 his umquam numeris putem futurum
 8 clara arrideat ut sereniori
 9 vultu fama tibi, sed ut benigni
 10 cognoscas animum et probes amici.

AD THOMAM MARONEM

L_218 v.1 Quam bene cum Zephyro violetis convenit, et quam
 2 melliferis apibus cum redolente thymo,
 3 conjuge cum propria viti quam convenit ulmo,
 4 tam mihi cum niveis moribus hercle tuis.
 5 Unanimes igitur sinceri munus amoris
 6 curemus, dextris candide utrimque datis.
 7 En mea dextra tuo prompte subscribit amori,
 8 ne desit fidei sygrapha certa bonae.
 9 Fac tua (quod superest) subscribat dextera nostro,
 10 impleat ut gratas charta notata vices.
 11 Sic tibi, docte Maro, illustri virtutis alumno,
 12 cum Musis faveat clarus Apollo, novem.

FAMA VIRTUTIS AETERNA

L_219 v.1 Quam parvo fragilis marcescit tempore forma
 2 deserit et niveum corpora nostra decus !
 3 Ille ego cognovi puerum, qui viderat annos
 4 bisseuos (formae gloria prima fuit).
 5 Contigit hunc ipsum post paucos cernere menses,
 6 heu nitidae formae gratia lapsa fuit.
 7 Virginei decor est oris (ni fallor) amoeno
 8 persimilis flori, nam cito uterque cadit.
 9 Retrogradi cum sol petit igneus atria Cancri,
 10 florida puniceo spirat odore rosa.
 11 Deficiente statim vitalis munere succi,
 12 purpureas moritur pallida facta comas.
 13 Sic modo quae pulchra resplendet fronte venustas
 14 languebit, spatio defluet atque brevi.
 15 Fingite formam animi virtutem, cordibus altis,
 16 cultorem nunquam deseret illa suum.
 17 Conferet haec vitae fructus feliciter amplos
 18 praesenti, pacem constituetque ratam.

19 Et tandem a tenebris lucem perducet ad almam,
20 aeternum ut videant atria celsa Dei.

DE IOANNE TUINO

L_220 v.1 Incipe nunc, Erato, nostrum laudare Tuinum,
2 doctorum merito quem chorus omnis amat.
3 Ille canit dextris Musis et Apolline versus,
4 quos habet in pretio Cantia tota suo.
5 Insuper illustrat nostros ex ordine reges,
6 imperii sobolem, dux Gulielme, tui.
7 Denique scriptorum veterum monumenta polita
8 disquirat, studiis prosit ut ille bonis.
9 Invigilatque scholae Dorovernae nomine dictae,
10 quae Servatori fana dicata tenet.
11 Ista quidem si sunt minime laudanda, Tuinum
12 desine tunc, Erato, concelebrare meum.

AD THOMAM ELIOTAM, EQUITEM ORNATISSIMUM

L_221 v.1 Forsitan exspectas, Eliota diserte, venustum
2 ut transmittam aliquod munus ab urbe tibi.
3 Ut non exspectes, mentis tamen intimus in me
4 promeruit candor munus at omne tuae ?
5 At ne quid temere mittam, vel quod sit ineptum,
6 restat in officiis unica cura meis.
7 Non aurum mittam. Longo nam temporis usu
8 fulgidus est auri deperiturus honor.
9 Non in Erythraeis crescentia munera conchis,
10 et margaritum gratia fluxa, brevis.
11 Sed neque gemmarum radiantia sidera mittam,
12 tantum oculos pascunt, caetera nuda quidem.
13 Excutienda mihi quare sunt munera, quae non
14 corrumpant ullo saecula longa modo.
15 Talia sed magno quaeruntur dona labore,
16 et poscunt animi fertilioris opem,
17 cum mea nil aliud possit praestare Camena
18 praeter Castaliis carmina mista modis.
19 Carmina fac igitur capias haec fronte remissa
20 munera, sed meritis inferiora tuis.
21 Queis modo si annuerint stabilem fata optima vitam,
22 longe auro et gemmis splendidiora dedi.
23 Sic te perpetuo victuros scribere libros,
24 aedere me juvet et carmina digna cedro.

AD MUSAM, DE H. DUNOVEDO EQUITE

L_222 v.1 Quantus erat, celebri cum Roma niteret honore,
2 Maecenas Flacco Virgilioque suo,
3 quantus erat lepido facundus Stella poetae
4 quem jactat civem Bilbilis alta suum,
5 quantus erat satyrae scriptori Caius ille
6 Bassus, in Ausonia cognita fama chely,
7 tantus Donovedus tibi sit, mea Musa canora,
8 quo solido propior nemo in amore mihi.

CULTUS ITALIDUM

L_223 v.1 Italidum varios cultus qui nosse laborat
 2 invisat Tuccae porgoriana mei,
 3 et tum si quaerat quae sors perduxerit illuc
 4 tam nitide excultas, me referente sciet
 5 Ausonios inter pictores clarior unus
 6 ex opere insigni debita lucra petens.
 7 Munditiem Italidum niveam, ornatusque intendens
 8 sic rara pinxit dexteritate manu
 9 illius ut splendens operis decus undique nymphas
 10 [LACUNE]
 11 senserat haec Taxus dives pretioque soluto
 12 comparat et Tuccae munera clara dedit,
 13 Italidum cultus ubi cernitur inclytus usque
 14 qui spectatricum lumina rapta fovet.

AD NICOLAUM ODODUNUM, ECCLESIAE DUROVERNENSIS ET ISUROVICANAE DECANUM

L_224 v.1 Felix Caesarei fori, Ododune,
 2 lumen conspicuum, sereniores
 3 extende hic radios tuos, ocellis
 4 laetis aspice candidum libellum
 5 in lucem modo prodeuntem apertam,
 6 ut doctos celebret viros, tuasque
 7 laudes eximias canat sonorus.
 8 Hoc unum rogitat, velis favere
 9 nunc auctori operis laboriosi,
 10 cujus sedulitate convalescens
 11 tandem sic didicit loqui diserte.
 12 Fausto sidere praenitente primum
 13 te gens libera Cantii videbat,
 14 natum ex nobilium domo virorum,
 15 divina indole praeditumque, cujus
 16 magno munere litteras politas
 17 degustasti etiam domi forisque.
 18 Unde et Parrisios, chorum eloquentem,
 19 Germanosque, gregem venustiore,
 20 postremo ac Italos decus Latinae
 21 linguae principium, inclitamque Romam
 22 invisisti alacer, tulisti et amplos
 23 fructus, tunc pretium laboris altum.
 24 Sic tandem repetens tuos penates
 25 intrasti medium forum, clientesque
 26 in rebus dubiis suum patronum
 27 collaudant, recolunt, probant, amantque.
 28 Auctus denique regio favore,
 29 legati officium omne praestitisti.
 30 Noster concinuit tuas libellus
 31 laudes. Concine tu illius vicissim,
 32 alternos numeros amant Camenae.

AD THOMAM MOTHERSHEDUM

L_225 v.1 Doctarum niveum decus sororum,
 2 mi Thoma, patriam tuam serenas
 3 qui virtutibus undequaque claris,
 4 ad te nunc properat gradu secundo
 5 vel laetissima Musa nostra, sperans

6 pro candore tuo futurum id optat,
 7 quod vel mirificis modis, benignum
 8 nempe ut te sibi comparet patronum.
 9 Quo tandem duce cognito probatoque
 10 insigni Clario, petat celebres
 11 montes Aonios, petatque festum
 12 Parnassum, ac Heliconios liquores
 13 pleno combibat ore perbeata.
 14 Hanc tu si facili manu lubenter
 15 nunc perduxeris usque eo venire
 16 quo contendit, ita illa comprobabit
 17 erga se beneficium tuum omne
 18 collatum, ut resonet modis canoris
 19 te natum studia ad politiora.
 20 Nam clarissima Caesarum tuorum
 21 facta et laurigeros canet triumphos,
 22 tum Mauros domitos ferumque Turcam
 23 devictum resonabit et fugatum.

IN LAUDEM HUGONIS VISIDUNI

L_226 v.1 Visidunus erit mea candida cura, celebris,
 2 qui Christum sacram personat atque fidem.
 3 Is cum suggestum conscendit candidus altum,
 4 aeterni ut reseret mystica verba Dei,
 5 docta caterva virum, fluvius qua labitur Isis,
 6 convolat ac aures arrigit usque silens.
 7 Edocet interea magni miracula Christi,
 8 auditor solem justitiaeque colit.
 9 Majori nullus studio pia themata dictat,
 10 orator dulcis, sedulus atque sagax.
 11 "Quam pius hic tractat partes feliciter omnes,
 12 quas vel jure suo concio sacra petit ! "
 13 audivi claros dicendi saepius arte,
 14 eloquio quorum raptus et ipse fui.
 15 Hactenus at non est certe mihi cognitus alter
 16 qui Visidunus fulget ut ille meus.
 17 Quid referam multis vultumque habitumque decorum
 18 illius, aut quod mel profluat ore merum,
 19 aut quibus exemplis divinae lumina legis
 20 illustret rara dexteritate sua ?
 21 Sedulitatem apium prudens imitatus Hyblaeam,
 22 delibat veterum tot monumenta patrum.
 23 Quidve loquar morem quo, denique, numine fretus,
 24 ad Christum alliciat mitia corda suum ?
 25 Hac recta pergat pius et duce flamine sancto,
 26 conscendet magni culmina celsa Dei.

AD RICHARDUM SCHELLAEGUM

L_227 v.1 Salve delictum merum Britannae
 2 gentis, qui celebres tuos parentes
 3 virtute alta animi celebriores
 4 reddis, restituisque utramque linguam
 5 antiquo facilis suo nitore.
 6 Momentum breve temporis remitte,
 7 excultis sophiae libris severae,
 8 Tulli et rhetoricos tui colores
 9 pone, hic dum Pharia notat papyro

10 dulcis versiculos Camena paucos.
 11 Quae stare in numero cupit tuorum,
 12 si tu si modo splendida relucens
 13 Fortuna, tenuem benignitate
 14 admittas solita, quod ipse non te
 15 facturum dubito. Vir es modestus,
 16 candoris nivei et leporis almi.
 17 Nunc, Schellaege, vale, manaque fausta
 18 artes assere litterasque doctas.

CAUSA CYGNEAE CANTIONIS NON AEDITAE AB ERASMO

L_228 v.1 Quid fuit in causa, moriens quod nuper Erasmus
 2 cygnaeum tacito presserit ore melos ?
 3 Quae solet argutos cantores reddere cygnos,
 4 non flavit zephyri lenior aura sui.

AD ERUDITISSIMUM VIRUM D. THOMAM SMYTHIUM, EQUITEM

L_229 v.1 Doctorum celebras (Smithi) monumenta virorum
 2 ardenti studio et dexteritate pari.
 3 Unde tibi accrevit virtutis nomine, fama,
 4 judice me, nullo deperitura die.
 5 Granta venusta tuas collaudat, cantitat, ornat
 6 eximias dotes, ingeniumque tuum.
 7 Quicquid in Aoniis speciosum montibus olim,
 8 quicquid in Italicis praenitet atque jugis,
 9 est tibi tam notum quam quod notissimum. Abundas
 10 artibus et rara cognitione vales.
 11 Fontibus eloquii sitiencia labra rigasti,
 12 Atticus ille tuo regnat in ore lepos.
 13 Instaurare bonas pergas feliciter artes,
 14 laudabit factum posteritasque tuum.

AD THOMAM TIDRINGTONUM

L_230 v.1 Te nunc per Charites rogo benignas,
 2 et te per faciles rogo Camenas,
 3 ter per Castaliae ducem catervae,
 4 et numen rogo per sacrum Minervae,
 5 quaeso per genium tuum, venustas
 6 et per litterulas tuas quidem illas,
 7 ut munus solide meum perornes
 8 verbis ac stimulis novis subinde.
 9 Si torpet, memor excites Philonem.
 10 Quam tu sis probus artifex, simulque
 11 novi quam vehemens sies Pericles.
 12 Extendas igitur velim valentes
 13 nervos ingenii tui expediti.
 14 Sic stabit mea causa te patrono,
 15 tu laudem officii feres perennem.

IN FRONTISPICIO LIBELLI, CUI TITULUS « ANTIPHILARCHIA »

L_231 v.1 Me jussit pietas amorque veri,
 2 jussit religio, fidesque pura,
 3 Christus denique jussit ipse, stricto ut

4 divini impeterem mucrone verbi
 5 hostem evangelii ferocientem.
 6 Lectores, mea cura, candidi, nunc
 7 aequum si petimus, novo libello
 8 linguis ac animis favete dextris.

AD LIBELLUM DE D. IOANNE CHECO

L_232 v.1 Si vis Thespiadum choro probari,
 2 fac ut consilio, libelle, nostro,
 3 facundo studeas placere Checo,
 4 quem Pandioniae colunt Athenae,
 5 et quem Roma colit diserta multum,
 6 quem rex maximus omnium, supremusque
 7 Henricus reputans virum probatum
 8 spectatumque satis, reconditaeque
 9 censorem solidum eruditionis,
 10 Eduardum bene filium, suumque
 11 haeredem, puerum, illa ad alta natum
 12 sic concredidit, utriusque linguae
 13 flores ut legeret venustiores,
 14 exercens facili manum labore,
 15 et Christi imbiberet suave nectar.
 16 Felicem arbitror hunc diem fuisse,
 17 tanto discipulo dedit magistrum
 18 quae talem. Unde suo venusta alumno
 19 Granta assurgit, et excitata plaudit.
 20 Quod jussi facias velim, libelle,
 21 Checum concilies tibi que amicum.
 22 Is si te nivea manu tenebit,
 23 perlustrans oculo tuos sereno
 24 versus, o facile inter eruditos
 25 expectare potes locum poetas,
 26 et famam domini tui per orbem
 27 late extendere. Perge quo parabas.

AD THOMAM LEGHUM, ARMIGERUM ADLINGTONENSEM, DE D. RICHARDI COXII FIDE ET INTEGRITATE

L_233 v.1 Cum fucis adeo laboret orbis
 2 totus, me rogitas, amice, narrem
 3 ore ut veridico tibi petenti,
 4 si dum reppererim, omnibus fidelem
 5 si possem numeris virum probare.
 6 Talem me volo repperisse credas.
 7 Albo rarior est et ille corvo.
 8 Novisti bene Coxium pium illum,
 9 sacri evangelii tubam sonoram,
 10 quem clarus patriae pater Britannus
 11 dilectum refovet, suoque nato
 12 inservire jubet probum tenello.
 13 Is vir iudicio omnium piorum
 14 omni ex parte fidelis integerque.

IN EFFIGIEM HENRICI OCTAVI REGIS ANGLIAE

L_234 v.1 Siqua manus pinxit vivos in imagine vultus,
 2 haec operis pretium verna tabella tulit.
 3 Sidereos sic rex oculos frontemque serenat

4 splendidus Henricus, sol sine nube micans.

AD THOMAM CRANMERUM, CANTIORUM ARCHIEPISCOPUM

L_235 v.1 Est congesta mihi domi supellex
 2 ingens, aurea, nobilis, venusta,
 3 qua totus studeo Britanniarum
 4 vero reddere gloriam nitori.
 5 Sed fortuna meis noverca coeptis
 6 jam felicibus invidet maligna.
 7 Quare ne pereant brevi vel hora
 8 multarum mihi noctium labores
 9 omnes, et patriae simul decora
 10 ornamenta cadant, suusque splendor
 11 antiquis male desit usque rebus,
 12 Cranmere, eximium decus piorum.
 13 Implorare tuam benignitatem
 14 cogor. Fac igitur tuo sueto
 15 pro candore, meum decus, patronumque
 16 ut tantum faveat, roges, labori
 17 incoepto. Pretium sequetur amplum.
 18 Sic nomen tibi litterae elegantes
 19 recte perpetuum dabunt, suosque
 20 partim vel titulos tibi receptos
 21 concedet memori Britannus ore.
 22 Sic te posteritas amabit omnis,
 23 et fama super aethera innotesces.

AD HENRICUM HOVERTUM ILLUSTRISIMUM REGNORUM COMITEM

L_236 v.1 Quot sunt sidera candicante caelo,
 2 et quot saltibus arbores in ipsis,
 3 quot sunt pinnigeri freto Britanno
 4 pisces et Libycis lapilli arenis,
 5 quot sunt collibus Italis racemi,
 6 et quot Niliacis agris aristae,
 7 tot Lelandus agit tibi benigno
 8 toto pectore gratias amico
 9 regnorum comiti, tibi coronas
 10 texens laurigeras, perenne munus,
 11 quae festum caput implicent triumphis.

CASTOS ESSE DECET POETAS

L_237 v.1 Lesbia lascivo placuit formosa Catullo,
 2 Lesbia fulgentes candida pexa comas.
 3 Collaudant alii teneros Varronis amores,
 4 formosam et noto nomine Leucadium.
 5 Qui cecinit molles elegos resonante Camena,
 6 Calvi Quintialam tollit ad astra sui.
 7 Deliciae Galli docti clarique poetae
 8 eximium nomen pulchra Lycoris habet.
 9 Lactea Paeligni floret Nasonis amica,
 10 materiem numeris sueta Corinna dare.
 11 Cynthia laudatur detergi nympha Properti,
 12 et Cynara est Flacco nota puella suo.
 13 Talia molliculis cantabant carmina vates,
 14 ignari vitae qui melioris erant.

15 Christicola at castos castus decantet amores,
 16 et sacros resonet Musa pudica toros.
 17 Sic in siderea caeli spatiaabitur aula,
 18 laetitiaeque novos concinet ille modos.

AD LIBELLUM, DE IOANNE BECHENSANO

L_238 v.1 Tu cum prodieris pictus fuligine preli
 2 in lucem, doctos extulerisque viros,
 3 Bechensanus erit tibi vel tutela politus,
 4 artes qui didicit perdocuitque bonas.
 5 Qua celer ancipiti decursu profluit amnis
 6 Isis, dicta est urbs Isidis unde Vadum,
 7 et qua Parisios collambit Sequana flumen,
 8 valle vagus media, nobilis urbis honor.
 9 Te decet excultum multa impertire salute
 10 illum, nam studiis annuit atque favet,
 11 utpote qui certet praestantes fortiter artes
 12 splendorem ad solitum jam revocare suum.
 13 Lectio multa quidem, linguarum et gratia felix
 14 illius hic causam promovet, auget, agit.
 15 Officio quare ne desis, care libelle,
 16 candoris niveo et munere clarus eris.

AD HELIUM EOBANUM HESSUM

L_239 v.1 Hesse tuos libros vatium celeberrime legi,
 2 et lecti summe perplacuere mihi.
 3 Sentio Nasonis venam facilemque fluentemque
 4 ingenii fontes nunc subiisse tui.
 5 Mentior, haec eadem nisi tota Britannia nostra
 6 quanta est (et merito) praedicet atque canat.
 7 Non opus est in re manifesta testibus ullis,
 8 testibus hic quamquam nec mea verba carent.
 9 Unus erat Burgratus, eritque Micocius alter,
 10 testis Bombergus tertius esse potest.
 11 Quos oratores a Chatto et Saxone missos
 12 splendida jam nostri principis aula fovet.
 13 Misimus ecce tibi versus ex tempore natos,
 14 delicias Musae quaeso remitte tuae.

AD ANTONIUM DENEGUM, EQUITEM

L_240 v.1 Antoni, eximios qui flores inter amicos
 2 quos dedit Henrici regia clara mihi,
 3 te mea contendit justis celebrare Camena
 4 laudibus, et nomen tollere ad astra tuum.
 5 In teneris annis juncti conviximus ambo,
 6 qua docuit tersus Lillius ipse schola.
 7 O quoties audita mihi tua verba ferebant
 8 assiduosque jocos, assiduosque sales !
 9 Ingenio nec te quisquam felicior acri,
 10 perpetuusque tuo fluxit ab ore lepos.
 11 Tum desiderio captus peregrina videndi
 12 acceleras votum, duxque Briennus erat.
 13 Cognitioque tibi linguarum hinc floruit alta,
 14 perplacuitque oculis Gallica terra tuis.
 15 Senserat hoc regum qui prudentissimus unus,

16 te famulum fautor constituitque suum.
 17 Quanta apud illum sit tua nunc vel gratia flagrans,
 18 testatur resonis aula canora modis.
 19 Illa quidem ut sileat, sum testis certior ipse.
 20 Commendas regi munera nostra tuo.
 21 Hinc me conspicuo collustrat lumine Phoebus,
 22 promovet et causam gratia blanda meam.
 23 Quas tibi nunc referam pro tali pectore grates ?
 24 Diceris Musae gloria magna meae.

DE GALLOFRIDO CHAUCERO

L_241 v.1 Cum vivum teres Atticus leporem
 2 invenisset, et undecumque Graecam
 3 linguam perpoliisset, insolenter
 4 audebat reliquos rudes vocare.
 5 Cujus iudicium impiger Quirinus
 6 intenso studio sequens, Latinum
 7 sermonem quoque reddidit venustum,
 8 et cum Graeco alios rudes vocavit
 9 at quanto mihi rectius videtur
 10 fecisse officium suum disertus
 11 Chaucerus, brevitate primus apta
 12 linguam qui patriam redegit illam
 13 in formam ut venere et lepore multo,
 14 ut multo sale, gratiaque multa
 15 luceret, velut hesperus minora
 16 inter sidera. Nec tamen superbus
 17 linguae barbariem exprobavit ulli
 18 genti, tam facilis fuit benignusque.
 19 Ergo vos juvenes manu Britanni
 20 laeta spargite nunc rosas suave
 21 spirantes violasque molliores,
 22 et vestro date candido poetae
 23 formosam ex hedera citi coronam.

AD RICHARDUM MAURISONUM, EQUITEM

L_242 v.1 Tradidit Isiacis tua carmina candidus hospes,
 2 heroum justo quae pede facta canunt.
 3 Iudiciumque meum quaerebat sedulus idem,
 4 ascribens Musis non tribuenda meis.
 5 Haec cui pauca quidem dixi pro tempore. Non sum
 6 inter Aristarchos dignus habere locum.
 7 Quin alacri potius testabar gaudia vultu
 8 ansam me numeris forte dedisse tuis.
 9 Unde quod ipse rudi cecinissem carmine, quodque
 10 scripsissem, irato terque quaterque deo,
 11 tu melicis plenus numeris et Apolline plenus
 12 cantares, hederæ praeriperesque decus.
 13 Sic amet Henricus doctos (tua munera) libros
 14 octavus, nostri maximus orbis honor.
 15 Perpetuo certa nostram superare canendo
 16 Musam, grandisonae quae minus apta tubae est.

PROMISSIS DIVES

L_243 v.1 Reddere si quemquam ditem promissa valerent,

2 Attalicas loculus noster haberet opes.

SUBSCRIPTIO STRENAE AB ANTONIO DENEGO DATAE

L_244 v.1 Arma haec daedalea Denaeius exhibet arte
2 facta, nec a studiis sunt aliena tuis.

AD THOMAM DANETIUM

L_245 v.1 Candide nostrarum Musarum praeco, Daneti,
2 qui veteris saeculi tempora docta refers,
3 dispeream si non tam sis mihi carus, ut ullo
4 nil prorsus possit carius esse modo.
5 Cujus et indicium monstrabo paratus amoris,
6 obtulerit quoties se tua causa mihi.
7 Interea nostrum hoc, quod nec leve munus, amice,
8 imparibus capias carmina mista sonis.
9 Carmina quae Phoebis doctisque faventibus olim
10 Ausonii venient forsitan ad ora chori.
11 Et tua servabunt florentia nomina, libris
12 ille meis genius si modo fautor erit.

AD THOMAM CAIUM

L_246 v.1 Caius, imperii dum gloria floruit ampli,
2 inter Romanos nobile nomen erat,
3 magnificumque refert quiddam vox illa canora,
4 Ausonii sic me perdocuere patres.
5 Tu per se clarum, contendis reddere nomen
6 Clarius, eloquio iudicioque nitens.
7 Tu celebras sophiae mysteria magna severae,
8 et colis Aonii lumina clara gregis.
9 Tuque laborantes Musas, qua nescio clade,
10 erigis atque levas, subsidiumque refers.
11 Si nunc praestiteris deducto temporis usque
12 ad talem cursu, parta corona tibi est.

AD D. EDUARDUM PHYTTONUM, ILLUSTRUM EQUITEM

L_247 v.1 Erigit insignes volucris Junonia plumas,
2 auricomus medio cum nitet axe deus.
3 Spectat opes hinc inde suas, spectando tumescit,
4 postponens formae cetera quaeque suae,
5 donec ad incurvos unguis deflectit ocellos,
6 inque suum recidunt lumina picta locum.
7 Exemplum cunctis est hoc, Phyttone, notandum,
8 et certe est multis utile nominibus,
9 elati ut fastum deponant pectoris omnes,
10 cum spectant terrae debita membra putri.

DE GEORGIO DAIO, EPISCOPO CEICASTRENSI

L_248 v.1 Daius est Musis commendatissimus ipsis,
2 nec calamo felix indiget ille meo.
3 Attamen hic cupio veteris meminisse sodalis,
4 ingenuum juveni quem mihi Granta dedit,

5 praecipue cum sit talis, qualem utraque Pallas
 6 approbat et melicis tollit ad astra logis,
 7 et cum sit talis, qualem Suadela Charisque
 8 certarunt mammis supposuisse suis.
 9 Non loquar ulterius quicquam. Virtutibus ejus
 10 impense eximiis languet avena mea.

IN EFFIGIEM EADUEARDI PRINCIPIS INCOMPARABILIS

L_249 v.1 Intentis quoties oculis vultumque coloremque
 2 aspicio laetum, dive Edoarde, tuum,
 3 expressam toties videor mihi cernere formam
 4 magnanimi patris, quo nitet ore, tui.

AD D. AUDOENUM, MEDICUM REGIUM

L_250 v.1 Musis Isiacis, Audoene, notus
 2 es, quas tu recolis severiori
 3 intentus studio frequenter illo,
 4 fructum hinc inde refers opimiolem,
 5 Naturae excutiens potentioris
 6 vel mysteria magna, quae favente
 7 illustri sophia, tuo labore
 8 nunc pulsus tenebris nitent serenum.
 9 Hinc et tu medicam celebris artem
 10 exerces. Nivea manu volumen
 11 antiqui Hippocratis ratum ac Galeni
 12 versas conspicui libros probatos.
 13 Haec persensit apex decusque regum
 14 Henricus, statuitque te venusti
 15 Eduardi medicum, deinde et almae
 16 reginae Catarinulae sibique.
 17 Vivat Nestoreos valens at ille
 18 annos, praesidium tuum meumque.

AD EADUEARDUM NORTHAEUM, EQUITEM

L_251 v.1 Doctorum merito generosa caterva virorum
 2 me plane ingratum diceret atque rudem,
 3 si mihi cessaret calamus cunctator iniquus,
 4 nec justas laudes scriberet ille tuas.
 5 Inclita Londinum urbs genuit nos sidere fausto,
 6 imbibimus laeti litterulasque simul.
 7 Tu puero in studiis mihi conjunctissimus, ipsos
 8 suspexi mores ingeniumque tuum.
 9 Et me felicem fortunatumque putabam
 10 te socium nactus, praesidiumque mihi.
 11 A superis petii supplex, votoque favebant,
 12 nos ut perpetuus cresceret inter amor.
 13 Causidici tu jura fori celebrare parabas,
 14 applausit studiis Granta beata meis.
 15 Tempore sic longo disjuncta ita corpora nostra,
 16 praesentes animi convaluere tamen.
 17 Confectis studiis affulsit laetior hora,
 18 disjunctos rursus quae sociare queat.
 19 Quid nunc commemorem, quo tu candore beasti
 20 exiguas Musas, vel sine fine, meas ?
 21 Hactenus a te nil petii, quod non tuus in me

22 contulerit promptus munificusque favor.
 23 Testis erat factorum erga me Tuca tuorum,
 24 Legius et testis noster amicus erat.
 25 Coxius et superest aeterno carmine dignus,
 26 te qui patronum praedicat esse meum.
 27 Pingere si possem, vivisque coloribus uti,
 28 effigiem exprimeret dextera nostra tuam,
 29 splenderesque foro medio velut hesperus alter,
 30 signaque justitiae conspicienda dares.
 31 Hanc ego cum nequeam praestare venustius artem,
 32 id faciam certe quod mea cura monet,
 33 nempe ut posteritas noscat, serique nepotes,
 34 virtutes semper me coluisse tuas.

AD HENRICUM VIII REGEM

L_252 v.1 Quinti nunc opera loquens Latine
 2 Dictys Septimii venit, rogatque,
 3 Princeps maxime, ut erutum duelli
 4 in lucem Priamaeii libellum
 5 verses, qui referet tibi tuorum
 6 virtutes celeberrimas avorum.

AD GUILIELMUM HENRICUM, NOBILISSIMUM COMITEM OSTROSAXONUM

L_253 v.1 Me tua nobilitas, qua non illustrior ulla,
 2 provocat ad cytharam clarisonumque melos.
 3 Perge favere tuas laudes, Gulielme, canenti
 4 vati, quo certe nomine major eris.
 5 Te genuit scitum borealis Avonia, tellus
 6 eximie omnigena fertilitate scatens.
 7 Teque adulescentem facundo Pindarus ore
 8 ingenuum docuit verba Latina loqui.
 9 Mellifluos modullos quisquis fuit ille deorum
 10 qui te perdocuit contremulosque tonos,
 11 a te discipulo praeconia lucida sumpsit,
 12 cujus concentus pulsat utrumque polum.
 13 Crediderim Phoebum sic te instruxisse canorum,
 14 carmina tam melicis concinis usque sonis.
 15 Non te convincit fama celeberrimus Orpheus,
 16 ut nec Arioniae stamina laeta lyrae.
 17 Nec te convincit resonis Philomela querelis,
 18 nec qui, cum moritur, concinit albus olor.
 19 Fulmineo caderet cum fracta Bononia bello,
 20 et Morinos premerent Martia tela truces,
 21 talia personuit dulci tua cantio voce,
 22 qualia vel Musae concinuisse velint.
 23 Non meliora quidem Dantes dedit inclitus ille,
 24 aut qui Petrarcae nomine notus erat.
 25 Sed neque Chaucerus resonanti musicus ore,
 26 aut meus arguta voce, Viatus amor.
 27 Saepe es doctorum numeros laudare suetus,
 28 emeritis tribuens praemia digna viris.
 29 Denique tu punctum facile hic sic omne tulisti,
 30 impar ut videar laudibus esse tuis.

AD HELIUM EOBANUM HESSUM

L_254 v.1 Exiguos elegos nuper transmisimus ad te,
 2 cultorem Phoebi Castaliique chori.
 3 Reddita nulla tamen nobis pervenit ab Hesso
 4 littera, quae posset grata referre vices.
 5 Provocat en iterum calamos Burgratus ineptos,
 6 da veniam nugis, magne poeta, meis.

AD GEORGIUM FERRARIUM

L_255 v.1 Si modo Verlamum, vetus urbs victoribus olim
 2 cognita Romanis, tota niteret ovans,
 3 te niveis certe insigniret grata lapillis,
 4 texerat ac facili florea sarta manu,
 5 queis tua congaudens redimiret tempora festa
 6 quod Musas deames, Castaliumque gregem.
 7 Concidit antiquae sed gloria funditus urbis,
 8 Albani Fanum quod reparavit opus.
 9 Fortunae scandens alta ad fastigia summae,
 10 Cromvellus sibi te vir catus asseruit.
 11 Deinde animo leges patrias evolvis, et illas
 12 sedulus inservis, causidicoque foro.
 13 Patronum veterem repetis patronus et ipse,
 14 ac lepidis dictis laetitiaeque studes.
 15 Gloria at illius cecidit, magnamque ruinam
 16 passa est. Sic versat sors male fida rotas.
 17 Aulica vita tibi placuit, mox regia magni
 18 te Henrici gremio foverat ampla suo.
 19 Horrida bella sonant, Martis fetura coruscat,
 20 et Scotti et Morini tela cruenta vibrant.
 21 Fortior occurris, gladio clypeoque resumpto,
 22 bellator prodis, Martius atque minax.
 23 Vidisti Scottos victor Morinosque fugatos,
 24 et patuit virtus amplior inde tua.
 25 Perge ut coepisti magnum te ostendere factis,
 26 Ferrari, et nostro carmine major eris.

AD GULIELMUM PAGETTIUM

L_256 v.1 Illustrare tuum, Pagetti candide, nomen
 2 percupio, niveis et celebrare notis.
 3 Lucidus aspiet Phoebus mihi grata canenti,
 4 inceptum facilis promoveatque meum.
 5 Sic ego magnificum potero deducere carmen,
 6 et tua per resonos dicere facta modos.
 7 Sentio nunc venisse deum, viresque ministrat,
 8 perscribam laudes ingeniose tuas.
 9 Te puerum in lucem Londinum protulit almam,
 10 est urbs haec eadem, patria clara mihi.
 11 In qua tu studiis operam cum fruge dedisti,
 12 sed nec ego a studiis tunc alienus eram.
 13 Grammatici enituit quo tempore gloria Lilli,
 14 notior ille tibi, notior ille mihi.
 15 Cujus tu partes fautor certante Gonello
 16 tutatus calamo es, non sine laude tuo.
 17 Interea excrevit vitae maturior aetas,
 18 atque puellares praeteriere dies.
 19 Ecce petis vivos fontes, Grantana fluenta,

20 nectareoque rigas labra liquore tua.
 21 Ast ego praecessi, nec segniter ipse secutus
 22 vicisti sortis munera parva meae.
 23 Tu Gardineri petiisti tecta, diserti
 24 eloquii sedem Pieriique chori.
 25 Sors vel ad obstreperos me duxit iniqua sophistas,
 26 tale quidem potui non ego ferre jugum.
 27 Suffugio quodam sed honesto, Gallica regna
 28 invisi, schola qua Parisiana viget.
 29 Quo magnis et tu properasti passibus, ardens
 30 linguarum nitida cognitione frui.
 31 Confecta tandem causa feliciter omni,
 32 tu patriam repetis civis amicus humum,
 33 Gardinerum etiam recolis de more patronum
 34 Uritislegi et nomina cara tibi.
 35 Per quos coepisti commendatissimus esse
 36 Henrico regi nobilibusque viris.
 37 Scriba Palatinas coluisti hinc sedulus aedes,
 38 exercens calamos dexteritate nova.
 39 Quo tibi conjuncta est Presdunia tempore virgo,
 40 qualis in aethereis Cynthia vecta rotis,
 41 felicem quae te generosa prole parentem
 42 reddidit, et casto praenitet usque toro.
 43 Principis arrisit tandem tibi gratia flagrans,
 44 legati ac Gallum munere functus adis.
 45 Deinde et Caesaream fortunatissimus aulam
 46 prudens orator conspicuusque petis.
 47 Affulsere tuis meritis hinc praemia digna.
 48 Ditescis, cumulos possidet arca suos.
 49 Tantum est munifico domino servire. Beavit
 50 te rex, excelso constituitque loco.
 51 Hic ego pro veteri vel consuetudine nostra
 52 optarem studiis proximus esse tuis,
 53 ni tuus atque meus cultor Masonius ille
 54 jam persuasisset me satis esse tuum.
 55 Addidit hoc etiam, per me te velle videre,
 56 quae Burgiduni gloria, fama, decus.
 57 Talia siqua juvant, possum describere ad unguem,
 58 oppidum et antiquis irradiare notis,
 59 cognita per veteres [moduema] fama libellos.
 60 Andresega suis insula floret aquis.
 61 Labitur hac rapido fluviorum rexque Terentus
 62 gurgite, Maeandros et sinuosus habet.
 63 Depraedatores importunissima Dani
 64 turba revidenti vim intulit usque loco.
 65 Non tulit hanc cladem Spottaesus victor iniquam
 66 splendorem antiquum restituitque pius.
 67 Sed quid ego his fessus tantum nunc demoror undis ?
 68 Tempus oportunum poscit et iste labor.
 69 Tunc mea cura tuum Burgi de nomine dunum
 70 laudibus emeritis tollet ad astra lubens.
 71 Interea tu vela meae hic extende carinae
 72 devehat ut laudes laeta Camena tuas.

INSCRIPTIONES QUAE LUCAS REGIUS PICTOR DELINEAVIT

INSIGNIA REGIA

L_257A v.1 Circulus imperii vastum qui circinat orbem
 2 atque coronato collucet vertice celsus,
 3 excolit Henrici multis insignia votis.

4 Magnanimos illos noctuque diuque leones,
 5 eximie et vernos candentia lilia flores.
 6 Quid sibi vult lauri, quid olivae festa corona ?
 7 Illa suum Phoebum, colit haec fecunda Minervam.

INSIGNIA IANAE REGINAE

L_257B v.1 Phoenix nuper eram venusta pennas.
 2 Ortum non Arabes mihi dedere,
 3 sed gens clara quidem Severiana.
 4 Henricum colui serena solem,
 5 pullum cui facilis meum sacravi,
 6 fausto et sidere praenitente natum.

ROSARUM UNIO

L_257C v.1 Rettulit illa dies Anglis spectata salutem,
 2 qua rosa purpureis candida juncta rosis.

CATARACTA, DUCUM SOMERSETENSIUM SYMBOLUM GENTILITIIUM

L_257D v.1 Haec cataracta, ducis fulvo quae praenitet auro,
 2 Somurotrigum tessera nota fuit.

LILIA

L_257E v.1 Lilia quis nescit caelo demissa supremo,
 2 imperio Henrici succubuisse sui ?

PLUMA, PRINCIPIS EADUARDI INSIGNE

L_257F v.1 Candida gemmiferae cultrix haec pluma coronae
 2 principis Eduardi tollit ad astra caput.

AD GUALTERUM HEVEDDUNUM, CICERONIANUM

L_258 v.1 Heveddune, tibi favet caterva
 2 (Grantae fluminis accola) erudita,
 3 in ripis puer ipse cujus olim,
 4 laeto pectore lusitare Suevi,
 5 et cannas reseccare concinentes
 6 cum flaret Zephyri faventis aura.
 7 Tu Marco bene Tullio diserto
 8 cura sollicita faves benignus,
 9 dicendi genus illius colisque
 10 facundum, teres, elegans, venustum,
 11 tersum, conspicuum, fluens, amoenum,
 12 elimatum etiam, et suis decore
 13 pictum floribus undecumque vernis
 14 illis usque adeo, ut nitente quadam
 15 majestate styli Atticum leporem
 16 Graecis fontibus exprimas petitum.
 17 Felicem puto te beatulumque,
 18 haec qui sic meditaris, ut perornes
 19 tam doctis studiis tibi faventem
 20 Grantam, cujus amor mihi profecto
 21 tantum crescit, opaca praevidensque
 22 quantum vere novo illa alumna Phoebi
 23 laurus vimina subjicit tenella.
 24 Incoeptis igitur tuis secundis
 25 vela extende manu valentiore.
 26 Ventus mox aderit Favoniusque,
 27 tu portum invenies tibi paratum
 28 optatumque, ubi commode quiescas.

AD THOMAS URITESLEGUM TICHOFELDENSEM, ANGLIAE ARCHIGRAMMATEUM

L_259 v.1 Phoebus adest, Musisque novem comitatus amoenis
 2 secum laetitiae signa serena refert,
 3 ac me subtristem solatur carmine tali,
 4 quale vel Aoniis concinit ille jugis.
 5 "Te decet imperio nostro parere, sorores
 6 suavisonas sistas suspicere atque meas.
 7 Uriteslegum titulis et nomine clarum,
 8 extolles dignis, me monitore, notis.
 9 Ingenium, cuius mores, virtusque modesta,
 10 iudicio semper sic placuere meo,
 11 ut terris dignum vel caelo rectius, illum
 12 optarim comitem perpetuum esse mihi.
 13 Nolo tamen radium talem subducere terrae :
 14 fulgeat, obscuris restituatque diem.
 15 Imperium hoc nostrum vates extende canore
 16 ne timeas, vires eloquiumque dabo."
 17 dixerat. Applausum resonando dedere Camenae,
 18 et subito sedes reppetiere suas.
 19 Impulerit quo nos, Uriteslege beate,
 20 imperium Clarii certior ipse vides.
 21 Tu, quoniam juvenis mihi vel percognitus olim,
 22 aspira et coeptis, inclite, plaude meis.
 23 Est deus in nobis, agitante calescimus illo,
 24 ardor et inde mihi dicere facta tua.
 25 Urbs mea Londinum genuit te clara puellum,
 26 [LACUNE]
 27 a teneris annis coluisti pectore toto
 28 Musas, sic genius jusserat ipse bonus.
 29 Argutae resonos nervos testudinis apta
 30 curasti eximie sollicitare manu.
 31 Et Fortuna parens sic te promovit alumnum
 32 illa suum, ut medio lux tua nota foro.
 33 Grantanasque scolas petiisti sidere fausto,
 34 Gardinerus erat fautor et ille tibi.
 35 Uroque vicanum te docta caterva vocavit,
 36 contulit hoc nomen functio clara patris.
 37 Forma venusta quidem tua sic in fronte reluxit,
 38 auricomus vertex sic nituitque tuus,
 39 lumen et ingenii tibi sic affulsit acuti,
 40 tum virtus sic te condecoravit ovans,
 41 unum multorum certe sis visus ut instar.
 42 Tu mihi mel fragrans delictumque merum.
 43 Quid nunc commemorem quo te comoedia Plauti
 44 accepit plausu, miles et ille tumens ?
 45 Si mihi iudicium solidum perfloruit unquam,
 46 aures si aut oculi praevaluere mei,
 47 dispeream si non fueris tam lucidus actor,
 48 quam qui maxime, et hic dicere vera libet.
 49 Sic oculos, sic ille manus, sic ora gerebat,
 50 sic quoque personuit, quisquis et ille fuit,
 51 ut dici possit Romani cura theatri
 52 atque operis pretium rettulit omne sui.
 53 Gardinerus homo fortunas natus ad amplas,
 54 se Volvesaego consecrat atque dicat.
 55 Maxima tu spirans, Grantana sorte relicta,
 56 Principis Henrici splendida tecta petis.
 57 Thesaurosque manu nocturna, saepe diurna
 58 versas, et curis prospicis usque tuis.
 59 Pecchamus haec cernens, sic ora resolvit amicus,

60 "Judicio crescet candidus iste meo."
 61 legati munus tum Gardinerus obibat,
 62 te comitem lateri junxerat atque suo.
 63 Hinc crevit magnis certa experientia rebus,
 64 et fama enituit latius inde tua.
 65 Cromvellusque potens sic delectatus amoeno est
 66 flore tui ingenii et dexteritate rata,
 67 ut te crediderit naturae dona sagacis
 68 hausisse ex Sophiae fontibus irriguis.
 69 Senserat haec princeps, quo non cordatior alter,
 70 hinc te sublimi collocat inque gradu.
 71 Orator celebris Batavos Belgasque potentis
 72 dum petis, eximie munere functus, ovas.
 73 Caesaris inde tibi soror ac regina beata
 74 plaussit, et officium comprobat omne tuum.
 75 Floreat Henricus, regni tutela Britanni,
 76 qui te pro meritis extulit usque tuis.
 77 Imperio Phoebi monitus haec qualiacumque
 78 carmina personui. Vive, valeque diu.

IN RICHARDUM CROKUM, CALUMNIATOREM

L_260 v.1 Me fatuum Crokus fatuorum maximus ille
 2 imperio quodam praedicat esse suo.
 3 Ut sim, me furiae non torquent : illius urgent
 4 clade mathematicum nocte dieque caput.

IN FRONTE LIBELLI, CUI TITULUS « GENETHLIACON »

L_261 v.1 Tardius in lucem charissime prodeo lector,
 2 causa fuit domini languida Musa mei.
 3 Da facilis veniam justa ratione petenti,
 4 et tibi decedet conditione nihil.
 5 Exeo nunc multo limatior, atque Britannis
 6 primus ego antiquum reddere curo decus.

INSIGNIA EADUEARDI PRINCIPIS

L_262 v.1 Festa coronatae sunt haec insignia plumae
 2 Principis Eduardi, divino numine cujus
 3 splendor, honos, tituli, nomen, laudesque manebunt,
 4 dum nivei liquido gaudebunt flumine cygni,
 5 lactea dumque hortis nascentur lilia cultis.

PLUMA EADUEARDUM PRINCIPEM ALLOQUITUR

L_263 v.1 Adsum, candidior (princeps) nive, lacte, ligustro,
 2 imperii tui laeta subibo jugum.
 3 Paciferam dextra quoties gestabis olivam,
 4 pileolo stabo conspicienda tuo.
 5 Impleat optato Zephyrus mea carbasa vento,
 6 sole sub ardenti taedia nulla feres.
 7 Inclita si laurus te forte ad bella vocarit,
 8 in galeae cono stabo superba tuae.
 9 Unica nobilium puerorum gloria, princeps,
 10 vivas, perpetuum tu mihi numen eris.

ALLUSIO AD ETYMON NOMINIS EADUEARDI

L_264 v.1 Quisquis Edvardum Romano expresserit ore
 2 custodem fidei dixerit esse sacrae.
 3 Hoc ego crediderim puero feliciter orto
 4 a superis nomen caelitus esse datum.
 5 Est pater antiquae fidei defensor amicus,
 6 degener et nullo tempore natus erit.

APPLAUSUS HENRICI VIII

L_265 v.1 Vive, pater patriae, rex invictissime, vivat
 2 Ascaniusque tuus Phoenicis filius albae.

AD D. GUILIELMUM SEISILLIUM

L_266 v.1 Diceris merito gallinae filius albae,
 2 sic te suspiciunt fata secunda suum.
 3 Non modo suspiciunt, commendant rectius almo
 4 te Phoebos totum, Pierioque choro.
 5 Provenit inde quidem successus laetus et ille,
 6 qui tibi promittit praemia digna cedro.
 7 Candidus erudiit noster te Chaecus amicus,
 8 Chaecus Cecropii gloria prima gregis.
 9 Cognitione nites linguae exuberante Pelasgae,
 10 et misces Graecis verba Latina sonis.
 11 Invigilas studiis felix noctesque diesque,
 12 sic quoque per Musas parta corona tibi.
 13 Illa dies niveo est semper signanda lapillo,
 14 quae tibi Milaredam junxit amore pari.
 15 Femina nulla magis doctas amplectitur artes,
 16 Graecula te Graecum diligit illa suum.
 17 Illa tibi vitis, tuque ulmus candidus illi,
 18 conjugio fausto gaudet uterque suo.
 19 Vivite felices, Musarum cura perennis
 20 vos servet, summo constituatque loco.

AD D. HARLEGUM

L_267 v.1 Virtutes animi sic te redimire videntur,
 2 ut redimit festum verna corona caput.
 3 Deposcunt igitur dignas sua praemia laudes,
 4 praemia in aeternis conspicienda libros.
 5 Fonte Caballino si quando labella rigassem,
 6 virtutes alacer tollerem ad astra sacras,
 7 et te virtutis cultorem, Harlege, probatum
 8 laudaret resonis haec mea Musa modis.
 9 Repit humi tenuis, metuens et subsidet imo
 10 (absint ut vires) officiosa tamen.
 11 Nomine quo, strictim laudes attinget amica
 12 qualiscumque tuas, fila canora movens.
 13 Omne genus sophiae gustasti pervigil, atque
 14 hausisti eloquii vina fluenta pii.
 15 Tu quoque facundi Ciceronis magnus amator,
 16 et tibi majestas Virgiliana placet.
 17 Profluviumque colis Nasonis, versibus unde
 18 illius assurgis gratior eximiis.

19 Nulla poetarum veterum monumenta supersunt
 20 florigero es quorum non spatiatum agro.
 21 Hinc vates celebrer, lepidus, multumque venustus,
 22 concinis argutis carmina laeta sonis.
 23 Posteritati quae te vel feliciter omni
 24 commendent, nomen percelebrentque tuum.
 25 Ecce suum officium mea praestitit omne Camena,
 26 applausumque tuum vindicat illa sibi.

AD RICHARDUM GODERICUM

L_268 v.1 Magnificum retines, Goderici candide, nomen,
 2 quod vel Saxonicum recte idioma probat.
 3 Sic bonus ac dives diceris jure Latino,
 4 moribus hoc nomen convenit omne tuis.
 5 Nominis illa tui tam bella notatio non te
 6 constituit ditem, constituitve bonum.
 7 Splendida felicem te virtus reddidit una,
 8 macte hac virtute et dona beata feres.
 9 Causidico sic fama foro tua lausque nitebit,
 10 et te patronum percolet ipse cliens.
 11 Nec sic contentus virtuti imponere finem,
 12 suspice doctrinae lumina clara piae.
 13 Illa tuas possunt ad caelum tollere laudes,
 14 te quoque per niveas condecorare notas.

PROSOPOPOEIA BOLONIAE EXPUGNATAE

L_269 v.1 Me Gessoriacum veteres dixere coloni,
 2 raraque sors nostrae nobilitatis erat.
 3 Ast ubi Caesareos subiissem victa triumphos,
 4 Romanas acies, imperiique jugum,
 5 crevit ab Italica mihi voce Bononia nomen,
 6 littora qua Morinum turba refracta colit.
 7 O quoties cladem et sum magnas passa ruinas !
 8 Me Francus domuit, Danus et Anglus atrox.
 9 Romani valeant, Franci, Danique valete,
 10 Anglus erit vitae spesque salusque meae.
 11 Concussit (fateor) duro mea moenia bello,
 12 pectoris et medio viscera rupta mihi,
 13 non secus ac terrae cum motu volvitur Ossa,
 14 horrisonis crepitans dissiliensque minis.
 15 Quid tum ? Restituet mihi culmina Martius heros
 16 Henricus, regum gloria, palma, decus.
 17 Nunc ego vicino discam servire Britanno,
 18 et Rutupina frequens littora nota petam.
 19 Vos fugite interea, Galli, nam fulminat Anglus
 20 Victor, et iratus fortia tela quatit.
 21 Gallia, quid speres ? Fidei defensor avitae
 22 imperium repetit fortiter omne suum.

HENRICUM OCTAVUM VICTOREM BONONIA ALLOQUITUR

L_270 v.1 Romani rerum domini Rutupina petentes
 2 littora trajectus me coluere ducem.
 3 Quid mihi cum victis Romanis ? Palma, Britanne,
 4 inclita me totam vindicat illa tua.
 5 Officiumque meum (quod Gallo displicet) omne

6 in tua transfudi nomina celsa lubens.
7 Floreat aeternum felix victoria patris,
8 Filius Edvardus sustineatque parem.

IN FRONTE LIBELLI, CUI TITULUS « BONONIA GALLOMASTIX » - BONONIA LECTORES ALLOQUITUR

L_271 v.1 Gallica tota fui nunc sorte Britannica Martis,
2 perplacet eximium conjugiumque mihi.
3 Audiatur applausus vestros Octavius ille
4 victor. Io vivat, dicite, vivat io.

AD HENRICUM COLLINUM

L_272 v.1 Felicem genuit te Atrebatum patria felix,
2 quo vel pervenit Caesar et ipse potens.
3 Isidis inde Vadum dulcem te fovit alumnum,
4 urbs antiqua, decens, docta, venusta, nitens.
5 Et te perdocuit linguam bene candida utramque,
6 unde tibi solide gloria parta fuit.
7 Senserat haec seniorque tuus fraterculus ille
8 ingenii et cernens lucida signa tui
9 ad studia intentus se totum vertit amoena,
10 esse tui similis sollicitateque cupit.
11 Frugiferi tandem laus floruit alta laboris,
12 et meruit doctos inter habere locum.
13 Vos in amore pares studiis contendite magnis
14 fratres, doctrinae ut luceat almus honor.

IN CYGNEAM POMPAM (Musica qua pompa...)

L_273 [DEEST]

AD IOANNEM PONETUM, VIRUM IN UTRAQUE LINGUA ERUDITISSIMUM

L_274 v.1 Absentem toties tuum
2 qui claris resonans undique laudibus
3 Lelandum, facilis mihi
4 commonstras animi signa nitentia,
5 et mores niveos simul,
6 quos verbis modo si pingere pluribus
7 vellem, dicere non ego
8 aut te audire quidem hoc tempore commode
9 [LACUNE]
10 posses. Interea ne videar tibi
11 spectati officii mei
12 erga te solidum forsitan immemor,
13 grates en referam libens.
14 Sic, Ponete, jubet nostra Camenula,
15 me quod magnifice tuis
16 verbis extuleris, immeritum tamen.
17 Jure nam liquido mihi
18 (ni verum pigeat dicere cognitum)
19 non certe potero probus
20 qualem tu tribuis candide gloriam
21 salva agnoscere fronte nunc.
22 Novi quam vehemens rhetor amiculi
23 in causa eniteas tui.
24 Indulges nimium, sed mea longius

25 ne te verba trahant, loquar
 26 hic quid veridico pectore sentiam.
 27 Laetor non mediocriter
 28 hoc candore tuae mentis, et integras
 29 laudes quas tribuis mihi
 30 contentus refero nam tibi splendido.

AD GEORGIUM HENEDRIGUM

L_275 v.1 Tama tibi applaudit fluuius, facunde Georgi,
 2 natalemque tuum percolit ille diem,
 3 qua paret oppidulum famaue foroque renidens,
 4 quod capit illimi nomen ab amne suum.
 5 Lucidus utque sies totus, contendit amicus
 6 Isiden hinc fratrem conciliare tibi.
 7 Tu nunc fluminibus me consultore secundis
 8 utere, fortunae sors erit ampla tuae.
 9 Isidis inque vado doctas alacerrimus artes
 10 extende, et meritis praemia digna feres.
 11 Scripsisti juvenis multa cum laude libellos,
 12 qui regi eximie perplacuerunt meo.
 13 Aede igitur coctos annis maturior illos,
 14 assurget Musis docta caterva tuis.

INSCRIPTIONES MURORUM CASTRI FANI MAUDITI

L_276 v.1 Semper honos, Henrice, tuus, laudesque manebunt.
 2 Imperio Henrici naves submittite vela.
 3 Gaudeat Eduardo duce nunc Cornubia felix.
 4 Exprimat Edvardus fama factisque parentem.

AD IACOBUM BOTLERUM

L_277 v.1 Te Maridunenses, facunda caterva, celebrant,
 2 qua Charis Isiacas vitreus intrat aquas.
 3 Tu Maridunenses merito recolisque disertos,
 4 officii grata sedulitate pii.
 5 Crescit amor, doctas virtus extendit et artes,
 6 eximie hac totus tu quoque parte nites.
 7 Incrementa videns laetus Camerarius ampla,
 8 vir probus et medicus regius, arte vigens,
 9 te sic munificus fuse exornavit amicus,
 10 ut tua principibus cognita fama viris
 11 undique luceret. Tandem hoc (velut omine) tactus
 12 splendore, Italiam non sine laude petis.
 13 Unde tibi accrevit titulo virtutis honesto
 14 nomen victurum, conspicuumque decus.
 15 Naturas ubi tu rerum fontesque perennis
 16 irriguos sophiae dexteritate jugi,
 17 excussisti alacer, justum preciumque tulisti,
 18 artibus ingenuis eloquioque valens.
 19 Sidera te in patriam revocabant fausta serenam,
 20 occurris laetus, deliciasque refers,
 21 quales exhibuit pleno cum copia cornu,
 22 ostentans flores, dona beata suos.
 23 Italiam repetis suscepto munere felix,
 24 tempore quo visa est regia Roma tibi.
 25 Inde domum rediens Henrico gratior esse

26 regi incepisti munificoque tuo.
 27 Mox a secretis reginae doctior almae
 28 es designatus, functio grata placet.
 29 Nuntius hinc ad Germanos transmissus amicos
 30 imperium complex principis omne tui.
 31 Haec me cantantem sic Musa est candida adorta,
 32 consona versiculis talibus ora movens.
 33 "Te memorem officii collaudo terque quaterque,
 34 qui sic Botlerum concinis usque tuum.
 35 Iudicio nostro est hederis dignissimus ipsis,
 36 praemia quae vatium conspicienda virent."

ORNAMENTA IN TABELLIS DEPICTA
 INSIGNIA HENRICI REGIS = CLXI
 INSIGNIA EADUEARDI PRINCIPIS = CLXII
 INSIGNIA GULIELMI LELANDI EQUITI

L_278 v.1 Splendida Lelandi sunt haec insignia cuius
 2 lauricolae fortes Martia facta canunt.

AD IACOBUM CURIONEM

L_279 v.1 Quem colit emerito geminus Parnassus honore,
 2 quem fons Castalius praedicat esse suum,
 3 quem sonet Isiacus chorus, et facundior ille
 4 eloquio clarum, iudicioque virum,
 5 te mea Musa canit, texit quoque laeta coronam,
 6 Curio, temporibus praemia digna tuis.
 7 Scribere moliris tersos, ut fama, libellos
 8 praedicat. Aspirent numina celsa tibi,
 9 sic felix poteris per tot compendia rerum
 10 aeternae famae dulce referre decus.
 11 Exspectant avidis oculis tua munera docti,
 12 fetura ingenii prodeat illa tui.
 13 Gratus eris patriae quo certe nomine semper,
 14 illa quidem doctos comprobant, ornat, amat.

QUALIS RICHARDUS SHELLEGIUS

L_280 v.1 Qualis ob occasu tepido cum flamine spirat
 2 est Zephyrus mollis gemmae prata fovens,
 3 qualis pulchricomus geniali lumine Titan
 4 cum roseam nitido pandit ab axe diem,
 5 talis adest nobis Shellegius ille venustus,
 6 qui Zephyrum et Phoebum candidus ore gerit,
 7 candidus ore gerit mel, mustum, nectara, ficus,
 8 pectore candidior cana ligusta gerit.

SUBSCRIPTIO PICTAE TABELLAE

L_281 v.1 Fertur Alexander pictorem magnus Apellen
 2 unum iudicio constituisse sibi.
 3 Henrici effigies Octavi poscit et ipsa
 4 Holbenae pingi dexteritate manus.

AD IOANNEM CAIUM MEDICUM

L_282 v.1 Nobilis Icenii gens late praenitet, urbem
 2 antiquam Ventam praedicat atque suam,
 3 unde tui generis fulgent exordia, Cai,
 4 praemia quae vitae prima dedere tibi.
 5 Condicione tamen, penitus ni fallor, at ista,
 6 artes ut coleres gratior ipse bonas
 7 Hic quoque tu magnam meruisti, candide, laudem,
 8 praestans omne quidem conditionis opus.
 9 Principio Grantam petiisti, captus amore
 10 Musarum ardenti mellifluisque sonis
 11 quo tu docte loco tandem velut Hesperus alter
 12 enituisti etiam lumina grata ferens,
 13 quae tibi conjuncti Framelingi splendida ocellos
 14 corripuerent, et detinuere simul,
 15 usque adeo ut tersos, quos aedidit ille, libellos
 16 ad te censorem mitteret usque suum.
 17 Deinde et in Italiam migrasti sidere fausto,
 18 rerum naturas excutis hincque gravis.
 19 Arrisit studium tibi praeter caetera dulce
 20 artes quod medicas addocet atque probat.
 21 Senserat hic Patavina cohors assueta politis
 22 quae studiis, laudes concinuitque tuas.
 23 Denique collectis thesauris sedulus urbem
 24 invisit, nomen cui Basilea dedit.
 25 Interpres ubi tu doctus fidusque Galeni
 26 mistes Cecropiis mella Latina favis,
 27 editi et in lucem te nunc autore libelli
 28 doctrinae testes ingenique tui.